ph.
t. lang.
Gram.

DE STRUCTURA VERBORUM

CUM PRAEPOSITIONIBUS COMPOSITORUM

QUAE EXSTANT APUD

C. VALERIUM FLACCUM P. PAPINIUM STATIUM M. VALERIUM MARTIALEM

COMMENTATIO ACADEMICA.



SCRIPSIT ET PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

P. I. ÖSTERBERG

LIC. PHIL NAT. VERML.

IN AUDITORIO GUSTAVIANO MINORE A. D. XV KAL. DEC. MDCCCLXXXIII.

H. P. M. S.



HOLMIAE MDCCCLXXXIII.

NYA TRYCKERI-AKTIEBOLAGET.

In prooemio illius de syntaxi linguæ latinæ libri commemorat Draeger ante triginta fere annos se intellexisse libris grammaticis latinis in omnibus rebus non confidendum esse. Quantam ex illo tempore operam in eo posuerint viri docti, ut sermonem singulorum scriptorum et dicendi usum in minimis etiam rebus pervestigarent, quantosque inde res grammatica ceperit fructus, nemo certe ignorat, qui quidem in his studiis vel leviter sit versatus. Sed quantoscumque latinarum litterarum scientia hac recentissima ætate progressus fecit, tamen multa supersunt, quæ cognita atque perspecta nondum habemus. Quod si omnino vere dicitur, haud scio an maxime in poetis valeat, quorum in scriptis perscrutandis non tam versata est industria philologorum, ut poetici sermonis leges satis notæ nobis sint et perceptæ. Poetarum autem sermonem qui non perdidicerit, quomodo eorum carmina vere æstimabit aut etiam intelliget? Iam vero nisi poetico sermone diligenter pervestigato ne prosæ quidem orationis gradus et quasi processus persequi licet, quam ad ornandam atque excolendam mirum quantum contulerunt poetæ. Nam argenteæ quidem, quæ dicitur, ætatis scriptores pæne omnes, alii magis aliis, poetico quodam colore orationem imbuerunt, ut poetarum quam oratorum similiorem eam esse iure dici possit. [1]

At enim poetici sermonis intelligentia, quanta desideratur, e carminibus classicorum, qui vocantur, poetarum et imprimis Vergilii omnis colligi potest, quippe qui summus in hoc genere auctor habitus sit. Negandum non est illud quidem Vergilium traditam a superioribus sermonis copiam ita

[1] Cfr W. S. Teuffel, Geschichte d. röm. Literatur[3]. p. 604.

auxisse atque perpolivisse, ut quum omnino poetæ tum ii, qui in eodem genere versarentur, omnes eius vestigiis insisterent; sed non sunt in hoc uno omnia. Nam ut poesis latina non Vergilio demum eiusque æqualibus originem debet, ita simul cum iis ne sepulta quidem est. Et quamquam Romani carminibus Vergilianis adeo delectabantur, ut quisquis poetæ nomen sectaretur ad eius similitudinem artem dirigeret necesse esset, fieri tamen non potuit, quin rerum publicarum morumque conversione litterarum quoque condicio mutaretur. Quo in genere satis sit memoriam recitationum illarum revocasse, quibus scriptoribus vanas laudes plaususque captantibus nihil aliud quam ingenium ostentare et audientium animos ad tempus delectare propositum erat.[1] Id igitur ante omnia agebatur, ut nova atque inusitata excogitarent, quibus nimium quantum homines tum delectabantur. Quam ad rem quum ipsi parum valerent, verborum constructionumque artificiis et troporum figurarumque insidiis auditores fastidiosos excitare et quasi titillare studebant; quæ superioribus, quos imitando exprimebant, feliciter cesserant, ea abunde sibi assumebant; nova nisi augendæ rei causa non inventa ad eorum similitudinem fingebant. Itaque apud posteriores poetas veterum sermonem agnoscas, etsi a pristina sanitate elegantiaque depravatum et velut novo ornatu indutum. Quod quum ita sit, gravissimam esse de imitatione poetarum quæstionem facile intelligitur. Nam illa demum quæstione instituta, ut ait B. Deipser, quomodo processerit quum reliqua poesis latina tum epica cognoscere licet.[2] Adde quod e posteriorum scriptis multa depromi possunt, quæ ad carmina eorum, qui poesis latinæ principes feruntur, explicanda atque illustranda plurimum valeant.[3]

His rebus adductus quum C. Valerium Flaccum, P. Pa-

---

[1] Cfr Th. Herwig, de recitatione poetarum apud Romanos. Marb. 1864 p. 19 sqq.

[2] B. Deipser, de P. Pap. Statio Vergilii et Ovidii imitatore. Argentor. 1881 p. 6.

[3] Hoc in Vergilianis carminibus optime perspicitur ex appendice a Woldemaro Ribbeckio, qui Vergilii auctores et imitatores collegit, editioni Ottonis fratris adiecta.

pinium Statium, M. Valerium Martialem aliqua ex parte tractandos susciperem, operam me non plane perditurum speravi.[1] Nam ne gradus et dissimilitudines epicorum latinorum ignoremus, minime negligendi sunt neque Valerius neque Statius, quorum uterque magnam apud æquales sibi pepererit famam.[2] Et Martialis quantam vitæ privatæ et quotidianæ Romanorum epigrammatis — ut Statius silvis — attulerit lucem, quis nescit? Quid dicam de ingenii laude, quæ quanta fuerit vel ex ipsius scriptis apparet, quum haud semel obtrectatores invidos irridens cavilletur?

Illa vero — imitationem dico superiorum et novandi mutandive studium — quæ eorum temporum, in quæ illorum ætas incidit, propria modo dixi, vix in quoquam facilius deprehendas quam vel in Valerio vel in Statio. Nam Valerius in Vergilio imitando modum adeo non servavit ille quidem, ut ex eius Aeneide pæne omnem hauserit verborum supellectilem, quam insolita figurarum structurarumque audacia augere studebat.[3] Statius autem, quamquam est et in imitando solutior[4] et in verbis faciendis iungendisque liberior,[5] Thebaidem ad exemplar Aeneidis ipse se perscripsisse quodammodo profitetur.[6] Longe alio carminum genere usus est

[1] Iis Silium quoque adiungere mihi proposueram, quo in consilio ne permanerem, metu deterritus sum, ne iusto plus munus augeretur. Accedit quod editio Siliana, qualem huiusmodi quæstiones poscunt, adhuc desideratur.

[2] De illo vid. Quintil. X, 1, 90, de hoc Iuvenal. VII, 82 sqq. — Mirum quantum in Valerio discrepant recentiorum iudicia. Vid. Thilo, prol. p. VIII sqq.; Ph. Wagner, Jahrb. f. class. Philol. 89 (1864) p. 407. Itemque in Statio dissentiunt viri docti. Cfr M. Hauptii opusc. III p. 128; I. N. Madvigii advers. crit. II p. 152. — Summa æquitate Statianæ poesis habitum et indolem quam brevissime mihi videtur descripsisse D. A. Sundén, Silva quædam Pap. Stat. Holm. 1860 p. 4.

[3] De imitatione Valerii cfr Teuffel l. c. pp. 605, 713; Thilo, prol. p. XIV sqq. Locos Vergilianos a Valerio expressos in editionibus suis collegerunt Thilo et Baehrens; contulit etiam K. Schenkl, Studien zu d. Argon. des Val. Fl. Wien 1871 p. 101 sqq. — De elocutione cfr H. Gebbing, de C. Val. Fl. tropis et figuris. Marb. 1878 pp. 2, 4.

[4] Cfr Deipser l. c. G. Luehr, de P. Pap. Statio in silvis priorum poetarum Romanorum imitatore. Brunsb. 1880 p. 2, Statium superiores poetas pæne omnes (Enn., Lucr., Catull., Hor., Verg., Tib., Prop., Ovid., Lucan.) exscripsisse affirmat.

[5] Cfr Aem. Grosse, Observatorum in Stat. Silvis specimen. Berol. 1861 p. 23 sqq.

[6] Th. XII, 816 sq.

Martialis, qui, quamquam perpetuus Catulli imitator appellatus est,[1] aliorum quoque poetarum — Ovidii, Tibulli, Vergilii — inventa in suum usum convertit.[2] In aperto igitur est ex illorum scriptis maxima afferri posse adiumenta ad poeticum sermonem melius cognoscendum. Neque tamen satis est eorum elocutionem generatim atque universe didicisse, quoniam nemo omnia animo comprehendere potest, nihil ut eum fugiat aut inexplicatum relinquatur. Sed singularem quandam quæstionem eligi necesse est, quæ separatim ita tractetur, ut ne minima quidem prætermittantur aut ut cognitione indigna spernantur. Quod quum mihi persuasissem, haud temere factum est, ut verba cum præpositionibus composita tractare consilium caperem. In his enim construendis scriptores latini eundem morem adeo non servaverunt, ut non modo inter diversas ætates et genera litterarum, sed etiam inter æquales scriptores, qui in eodem genere versati sint, maxima intercedat dissimilitudo. Atque ut Martialis ipso scribendi genere ad consuetudinem quotidiani sermonis propius accessit nec verbis fingendis aut struendis multa novavit, ita et in Valerio et in Statio eiusmodi quæstionem prorsus necessariam esse apertissimum est. Quot enim verba aut compositione invenerint aut nova vel structura vel significatione induerint, rem vel obiter intuenti statim apparet. Accedit quod infirmissimis adminiculis in his scriptoribus recensendis innititur ars critica; neque sane corrigendo quisquam multum proficiet, nisi, quem ad modum singula verba construere assueverint, compertum habebit. Quod ut certo reperirem, omnium mihi ex illorum carminibus exemplorum copiam colligere necesse fuit, quæ ad structuram verborum compositorum illustrandam pertinerent.[3] Sed

---

[1] Vid. R. Paukstadt, de Mart. Catulli imitatore. Hal. 1876 p. 3.

[2] Cfr E. Wagner, de M. Val. Mart. poetarum August. ætatis imitatore. Königsb. 1880 p. 3 sqq.

[3] Facere non possum quin verba ipsa Haasii afferam, qui in libro, qui inscribitur: Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft II p. 131 de hac re ita disserit: ›Es können nur erschöpfende und durchaus vollständige Sammlungen über einzelne Schriftsteller deutlich machen, wie sich der Gebrauch allmählich geschichtlich entwickelt hat; dadurch wird eine Menge Zweifel zu lösen sein, wo man schwankt, ob

quia in exemplorum multitudine pæne infinita facillime fieri potest, ut hoc vel illud vel intentissima cura colligentem fugiat, ne crimini mihi vertatur, si unum alterumve prætermiserim, meo quodam iure petere videor. Neque quum maxima sit ad hos scriptores interpretandos subsidiorum inopia, summa in recensendis inter criticos, qui vocantur, discrepantia, omnia a me satis intellecta esse aut explicata sperare audeo. Quod si ut alii, maiore doctrina et iudicandi subtilitate instructi, operoso illo colligendi labore exonerati ad indaganda ea, quæ controversa aut dubia videntur, via quodammodo præmunita totos se possint conferre, haud exiguum laboris fructum me percepisse existimabo. — Hæc fere habui, quæ de universa huius opusculi ratione præmonerem.

Reliquum iam est, ut qua usus ratione exempla laudaverim paucis ostendam.[1] Quoniam igitur libri manu scripti, qui in Valerii et Statii carminibus emendandis certissimi duces habentur — Vaticanum dico numero 3277 insignitum (V) et Puteaneum (P), quorum scripturam, ubi a proposita lectione recedit, semper adnotavi — multis mendis inquinati ad nos pervenerunt, ad coniecturas emendationesque pro suo quisque ingenio editores confugerunt, neque quem ubique sequerer auctorem inveni. Valerii quidem verba, sicut a Thilone edita sunt, sæpissime servavi, sed nonnumquam aliam, atque ille proposuit, scripturam recipere coactus sum. Itaque editiones adii Baehrensii et Schenkelii, commentationes Koestlini, Sandstroemii, Ph. Wagneri, aliorum, quos suo quemque loco, ut res feret, infra laudabo. Longe autem plurimum negotii Statii carmina mihi exhibuerunt. Neque enim in editione Queckii quasque ei adiunxit parcissimis adnotationibus acquiescere potui, et longe dissimilem inter se viam ingressi sunt ii — O. Mueller, Kohlmann, Baehrens, alii-, quos in auxilium vocavi.[2] Quare, quoad eius fieri po-

gleichlautende Formen für Genetiv und Ablativ oder Dativ zu halten sind; sehr häufig wird sich daraus erst mit Sicherheit über zweifelhafte Lesarten entscheiden lassen».

[1] Quid in iis colligendis secutus sim, spero fore ut e primo capite satis intelligatur.

[2] De Baehr. et Kohlm. quid iudicet O. Mueller, vid. Electa Statiana. Berol. 1882 pp. 5 sqq., 13.

terat, auctoritatem codicum servavi, sed idem plures criticorum coniecturas afferre necessarium duxi, maxime quidem in Silvis, quas qui continent libros immensa pæne corruptelarum multitudine laborare notissimum est. Atque eo peiore res loco fuit, quod in posteriore Thebaidos parte — ut interdum in Silvis — præsidiis criticis maximam partem destituti sumus. Neque tamen ne propositum peragerem hac re deterritus sum, quum præsertim his exemplis collectis criticorum operam me sublevaturum magnam spem haberem. Exempla denique ex epigrammatis Martialis deprompta adnotata semper codicis Thuanei (T) diversitate Schneidewinium secutus laudavi.

CAP. I.

In verba cum præpositionibus composita diligentius inquirenti fieri non potest, quin quæstio brevi nascatur, unde pendeat verbi structura, e præpositione an e significatione, quæ verbo composito subest. Utriusque sententiæ auctores exstiterunt. Et Zumptium quidem nihil fere ad structuram valere verbi significationem censuisse apertissimum est.[1] Reisigii vero sententia non satis firma fuisse videtur. Nam quum dativum, qui verbis compositis adiungitur, ipsa eius casus vi et potestate contineri declaret,[2] idem in aliis nonnullis verbis cum præpositione compositis structuram a præpositione pendere putat, idque non ex ea, quæ verbo affixa est, sed ex alia eiusdem fere significationis.[3] Sed ibi quoque constructionem in significatione verbi positam esse, Reisigium refutans, adnotavit Haase. Atque omnes, qui his proximis annis hanc rem tractarunt, alteram amplexi sunt sententiam, cuius auctorem citant Lehmannum, quem primum de verbis compositis ratione et via disputavisse affirmant.[4] Et Hahn amplissimis eum effert laudibus, quod

---

[1] Cfr Lat. Grammatik [10] § 415.

[2] Cfr Vorlesungen üb. lat. Sprachwissenschaft. Leipz. 1839 § 368.

[3] Cfr l. c. § 417.

[4] Quod equidem sciam, hi sunt: A. Lehmann, de verb. compos., quæ apud Sall., Cæs., Tac. leguntur, cum dat. structura. Vratisl. 1863; A. Augustinus, de usu dat. ac præp. in structura verb. comp., quæ apud Cic. leguntur. Progr. gymn. Ratib. 1869; W. Ignatius, de verb. cum præp. comp. apud Corn. Nep., T. Liv., Curt. Ruf. cum dat. structura. Berol. 1877; H. Hahn de verb. cum præp. comp. apud vet. Roman. poetas scænicos cum dat. structura. Hal. 1878; H. Keller, de verb. cum præp. comp. apud Lucretium usu. Hal. 1880; Fr. Ulrich, de verb. comp., quæ exstant apud Plautum, structura. Progr. Hal. 1880; C. Schneemann, de verb. cum præp. comp. apud Catul., Tibul., Propert. structura. Hal. 1881. Magna ex parte huc etiam pertinent: G. F. Hildebrand, üb. einige Zeitwörter, w. bei Cic., Cæs u. Liv. mit d. blossen

Zumptium ita refutaverit, ut ne verbum quidem addi necesse esse videatur.[1] Unus Ulrich, et ipse Lehmanno plurimum tribuens, eis, quæ contra Zumptium ille disputet, non assentiri se diserte profitetur, quod, cur verbum aliquod dativum aut accusativum regat, ullam in præpositione causam inesse prorsus neget.[2] Neque tamen Ulrich, quantam vim ipse præpositioni tribuat ad constructionem verbi constituendam, certiores nos usquam facit. Itaque mei iudicii summam dissimulare nolo, quia nonnulla, quæ ad rem iudicandam magni momenti sunt, non satis respexisse mihi videntur ii, quos supra nominavi.

Præpositione igitur, quacum compositum est verbum aliquod, novi verbi structuram non contineri ut demonstraret, quas rationes attulerit Lehmann, plane ignoro. Rem autem omnino ita se habere ex his tribus facile apparet: 1) nulla latinæ linguæ præpositio cum dativo iungitur; 2) e verbis compositis multa alium casum assumunt atque eum, qui sequitur verbi præpositionem; et, quod tantundem fere valet, multa verba composita plus unum casum regunt, quum præpositionem unus aut accusativus aut ablativus sequatur; 3) reperiuntur verba, in quibus insunt duo præpositiones, quæ eundem casum non regant.[3] Neque enim, credo, quemquam iam movebit aut Zumpt, qui dativum, quem regant verba cum præpositionibus composita, suum atque proprium locum non obtinere, sed brevitatis causa pro repetita præpositione poni contendit, aut Reisig, qui præpositionem alterius vice ita fungi putat, ut, quod exemplum ipse affert, accusativus is, qui *præcurrere* verbum seqvitur, ab *ante* præpositione pendeat, quam animo loquentis obversatam esse

---

Abl. u. d. Präp. a, de, ex verbunden verden. Progr. Gymn. Trem. Dortm. 1859. et C. Klein, de verb. separandi apud Tacitum Hal. 1878. — Programmata, quibus continentur commentationes Hildebrandi et Augustini, mihi in manus non venerunt. Ne Lehmanni quidem dissertationem ut viderem mihi contigit, quod magnopere dolendum est, quum ille forsitan multa ex iis præceperit, quæ de vi et natura verbi compositi infra scripturus sum.

[1] Vid. Hahn l. c. p. 2; cfr Ignatius l. c. p. 6.

[2] Ulrich l. c. p. 31.

[3] Cfr Teipel, lat. Verba mit zwei o. mehr Präp. zusammengesetst. Jahrb. f. class. Philol. 16 Suppl. Bd (1850) p. 555 sqq.

declarat. Satis igitur mihi docuisse videor structuram verborum compositorum præpositione non contineri. Sed ne in significatione quidem verbi acquiescendum est, si omnia recte explicare volumus. Quænam enim, si exemplis rem explanare licet, in verbo ipso sentitur notionis dissimilitudo inter Plaut. Stich. I, 2, 31 *mihi paternae vocis sonitus auris accidit*[1] et Liv. XXIV, 46, 5 *sonitus procellae accidens auribus?* An alia est verbi significatio, quum Val. VIII, 132 *insilire puppem*, alia quum St. Ach. II, 306 *ins. alno* legimus? Quid? quod idem Valerius scripsit: IV, 683 *Juno praecepsque Pallas insiliunt scopulos*, II, 513 *ille* (Aeacides) *insiluit scopulo;* neque ulla mendi est suspicio. Itaque in alteram partem errare mihi videntur, qui omnia in significatione verbi posita censent. Alia ergo via ineunda est, ut, unde ortæ sint variæ verborum compositorum structuræ, rectius intelligamus, atque ante omnia explorandum, quæ ratio inter duas verbi partes, præpositionem et simplex verbum, intercedat.

In vetustissimis linguæ latinæ monumentis verborum cum præpositionibus compositorum duo membra sæpe ita inter se disiuncta occurrunt, ut utrumque propria sorte vocabuli partes agat,[2] qua in ratione prima linguæ ætate semper ea fuisse existimandum est. Ipsa autem linguæ vi et natura fiebat, ut vocabula alterum cum altero sæpe posita propius inter se accederent, et ita quidem, ut, cuius ad sententiam maior vis esset, id alterum ad se velut attraheret, utque deinde ambo uno sub accentu comprehenderentur.[3] Neque tamen quidquam de sua natura duo vocabula mutaverant adeoque in animo loquentis distincta erant, ut arbitrio eius alterum ab altero continuo solveretur. Ideoque novo verbo eum casum adiunctum esse, quem verbum simplex sequente præpositione desiderasset, consentaneum est. Quare, si hoc modo res intelligitur, eorum verborum constructionem, quorum inter partes hæc ratio intercedat, præpositione contineri dici

---

[1] De Val. II, 452 vid. s. v. *accidere.*

[2] Cfr W. Corssen, Aussprache und Vocalismus d. lat. Sprache. II[2] p. 397.

[3] Corssen l. c. II p. 396.

potest.[1] Neque minus perspicuum est eo maiorem eius fuisse vim, quo propior ab infantia, ut ita dicam, linguæ esset is, qui loquebatur aut scribebat. Progrediente enim tempore, prout lingua excolebatur, duo verbi partes magis magisque confundebantur et ad extremum ita coierunt, ut memoria duorum membrorum, quorum utrumque suam habuerat vim et notionem, omnino abolita, in unius verbi quasi corpus coalescerent, cui nova prorsus significatio subiiceretur. Nihil ergo ad structuram iam valebat præpositio, de qua in verbo usurpando vix quisquam cogitabat, eamque accipiebat novum verbum constructionem, quæ ad relationem subiecti et obiecti declarandam aptissima erat.[2] Hæc igitur verba ad ceterorum consuetudinem paullatim se accommodarunt, unde factum est, ut iis quoque dativus adiungi posset utque eius fines sicut in reliquis in dies magis propagarentur. Neque mirum fecit Lehmannus, si vim illam, quam in præpositione esse supra demonstravimus, parum æstimavit, quum ad dativi modo rationem videatur rem exquisivisse, qui casus ea sola sequitur verba, quæ propria duorum membrorum vi plus minusve comminuta in novam significationem abierint, qua dativum contineri suo iure contendit. Ex quo nullo modo efficitur nihil omnino ad constructionem valere præpositionem. Nam multa verba in latina lingua exstant, in quibus præpositio et verbum simplex numquam ita concreverint, ut quæ utrique membro primitus subfuisset notio loquenti sensus abiret.[3] In his ante omnia commemoranda sunt nonnulla, quæ cum præpositionibus adverbiorum quoque vice fungentibus, quas "uneigentliche Präpositionen" appellat Reisig,[4] composita sunt. Nam præpositionem, quæ illis inhæret, non tam arcte quam in ceteris cum verbo iunctam esse quum ex aliis rebus[5] apparet tum inde, quod ea potissimum verba in tmesi posuerunt

[1] Cfr Haase l. c. II p. 102, ubi de vera atque propria vi præpositionis disserens docet, quomodo casum aliquem præpositione regi intelligendum sit, et p. 130.

[2] Cfr Haase l. c. II p. 130; Keller l. c. p. 6.

[3] Corssen l. c. II p. 396.

[4] l. c. §§ 137, 138.

[5] Vid. Reisig l. c. § 141.

poetæ.[1] Iam vero, ut exempla de nostris sumpta rem illustrent, apud Valerium et Statium inveniuntur verba, quorum partes in unum adeo non coierunt, vix ut utrum divisa necne scribi debeant, satis constet.[2] Neque mirum est illud quidem, si horum verborum originem inspicimus, quam apud Valerium et Statium plane manifesto deprehendere possumus. Tanta enim libertate in eiusmodi præpositionibus collocandis poetæ usi sunt, et haud scio an maxime nostri, ut a substantivo, ad quod pertinent, vocabulis interiectis haud raro separentur. Unde sæpe fiebat, ut verbum enuntiati præpositioni proxime subiiceretur eamque deinde vi sua tamquam attraheret. Atque huic ipsi præpositionum collocationi haud pauca verba a nostris novata originem debent, quorum structuram a præpositione pendere luce clarius est.[3] Neque dubitandum videtur, quin cetera quoque eadem via olim orta sint, quoniam omnes præpositiones adverbia locali sensu prædita primitus fuisse inter omnes convenit.[4]

Nulla igitur latinæ linguæ ætate præpositiones omnem amisisse vim ad structuram constituendam effecisse me puto. Sed duo exstant verborum compositorum genera: altero ea verba continentur, quorum partes uno sub accentu comprehensæ suam utraque vim obtinent, quorum structura in præpositione posita est, altero ea, quibus propria duorum membrorum vi et potestate abolita nova subiecta est significatio,

---

[1] Cfr L. Muellerus, de re metrica poetarum latinorum. Lips. 1861 p. 368 et Th. Ladewig, Vergils Gedichte[6] cet. Einl. p. 7. — De Val. vid. Gebbing l. c. p. 52. Tenendum tamen est tmesin a classicis, quos vocant, poetis eorumque imitatoribus non vivido vulgi usu, sed disciplina scholica, ut ait Muellerus, usurpari, quare ea quoque verba in tmesi ponuntur, quæ alius sequatur casus atque præpositionem verbo inhærentem.

[2] Sic *supereminere* verbum, ubi proprio sensu adhibetur, coniunctum scribitur: Val. V, 367 *Tyndaridas supereminet ore*, sed divisum, ubi translato: Val. I, 317 *vox tamen Alcimedes planctus super eminet omnes.* *antevolare* et *subtervolare* verba scribuntur a lexicographis coniuncta, ab editoribus divisa. Cfr *supereffugere, superfulgere*, alia.

[3] Cfr M. Schmitz, de Val. Fl. dicendi genere quæstiones. Monaster. 1872 p. 6. De Statio cfr Grosse l. c. p. 28. Uno exemplo rem declarabo: St Ach. I, 395 *alternum Mavors interfurit orbem*, ad quod Barth adnotavit: ›præpositionem detractam nomini addidit verbo‹.

[4] Cfr H. Grassmann, Ursprung der Präp. im Indogerman. Kuhns Zeitschr. XXIII p. 560, Haase l. c. II p. 102.

ex qua constructio verbi pendet. Atque inter prioris generis verba ea potissimum reperiri admonui, quibus inhæreant præpositiones alias adverbiorum quoque locum obtinentes. Omnia autem eiusmodi verba in illum numerum non esse referenda supervacaneum est commemorare. Sed esse duo illa genera ut unicuique facile apparet, ita, quæ verba aut quando ad hoc aut ad illud referri debeant, difficillimum est ad discernendum. Adeo enim omnia conexa atque indiscreta sunt, ut nec, quibus quodque verbum gradibus processerit, persequi possimus, nec nisi raro quam arcte in iis, quorum membra in eadem ratione semper fuerunt, præpositio cum verbo cohæreat, certis indiciis declaretur. Quare id unum mihi videtur constare præpositionis vim — quod ad constructionem attinet [1] — omnem abiisse novamque verbo subiectam esse notionem, ubi alia est eius structura ac si verbum simplex addita præpositione poneretur. [2] Contra in ceteris plerumque, ut iam dixi, neque num omnino neque quando inter se membra in unum coierint diiudicari potest. Nam de verbis, quæ a præpositionibus accusativum regentibus incipiunt, vix aliud relinquitur, quam ut accusativum illis verbis adiunctum apud veteres scriptores plerumque a præpositione verbo inhærente, apud posteriores a nova verbi significatione pendere cum Haasio dicamus. [3] Itemque cum eo consentimus a posterioribus verba composita veterum more interdum constructa esse, ut sequens accusativus præpositione magis quam significatione verbi contineatur, qua re antiquo quodam colore, ut vehementius placerent, carmina temperare studebant. Sic apud nostros accusativus additur verbis *accidere*, *inhiare*, *insilire*, aliis. In verbis vero, quibus præpositiones *ab*, *de*, *ex* affixæ sunt, ne id quidem affirmari potest, quum poetæ

---

[1] Quantum ad significationem verbi constituendam præpositio valeat alia et ea permagna quæstio est, quam nunc omittamus; quam rem non satis considerasse mihi videtur Schneemann. Cfr l. c. p. 6.

[2] In verbi compositi forma atque specie cur diu moremur, nihil sane est. Nam verborum *debere*, *demere*, *imperare*, aliorum membra in unum coaluisse in promptu est constructioneque probatur; at in verbis *aderrare*, *circumdare*, *inesse*, *intervenire*, *superesse*, aliis, quamquam et ipsa dativum assumunt, neutrius membri forma mutata est.

[3] Cfr l. c. II p. 130.

inde ab antiquissimis temporibus, ut locum, unde motus fieret, significarent, ablativum non minus simplicibus quam compositis verbis subiecisse videantur.[1] Sed apud nostros quidem illorum verborum structuram in præpositione non positam esse satis ex eo intelligitur, quod eorum plurima ad diversas relationes significandas varias induerunt constructiones, quas significatione contineri necesse est. Et haud scio an lingua latina in nulla parte plus sibi indulserit; nam in eo numero sunt haud pauca, quæ præter ablativum etiam dativum vel accusativum vel præpositionem aliquam assumunt.

Sed quoniam verborum compositorum eam, quam supra proposuimus, fuisse originem credere licet, omnes quas admittunt constructiones in locum verbi simplicis sequente præpositione successisse dici potest. Animadvertendum tamen utique est longe aliam in multis esse præpositionis rationem, quum sæpe ad nihil fere valeat nisi ut vim simplicis aut augeat imminuatve aut alio quo modo immutet, ut compositum verbum pro simplici solo adhibitum esse videatur.[2] Atque hæc quidem verba, quum eorum structura a simplicium nihil recedat, nihil causæ est quin dimittamus. Hoc tantum admonitum volo tam firmis aut tam certis finibus ea non circumscripta esse, ut, utrum munus præpositio ubique impleat, certo evidenterque dici possit. Quare inter exempla a me allata aliquot, quæ ad id, quod nunc propositum est, proprie non pertineant, reperiri posse minime ignoro. Sed ne illa quidem ad rem nostram inutilia fore spero, et vix erant suis locis prætermittenda aut a ceteris segreganda. Contra alia quædam — velut *debere*, *præbere*, *imbuere*, *imperare*, alia —, quæ afferri oportebat, grammaticorum auctoritatem secutus consulto omisi.[3]

[1] Cfr A. Draeger, hist. Syntax d. lat. Sprache. I, [2] § 218.

[2] Optime hæc res perspicitur in verbis nonnullis, in quibus plures præpositiones insunt. Cfr Teipel l. c. — Neque, credo, umquam verba *conficere*, *perficere*, *surripere*, alia pro simplici iterata præpositione posita sunt.

[3] De originatione verbi *imbuere* vid. Corssen, Krit. Nachträge zur lat. Formenlehre. Leipz. 1866 p. 176; de v. *imperare* vid. Kuhns Zeitschr. XV p. 251.

CAP. II.

Structura verborum compositorum ita comparata est, ut aut cum præpositione aliqua iungantur — vel ea, a qua verbum incipit, vel alia, quæ similem habet vim — aut cum casu nude posito, sive a præpositione sive a significatione eum pendere existimandum est. Qua de re Lehmannus sic tradidisse fertur antiquiores scriptores præpositionem, posteriores casus solos, imprimis dativum prætulisse.[1] Quod quidem in poetis valere tum multorum, quos Ulrich contulit[2], tum nostrorum usu evidentissime confirmatur. Nam, ut ad eos orationem tandem transferamus, rarissime, et haud scio an exspectatione rarius, præpositione usi sunt. Exceptis enim verbis cum præpositionibus *ab*, *de*, *ex* compositis, quorum, quia præpositionem et nudum ablativum pæne nullo discrimine assumunt, hoc loco, ut semel dicam, rationem non habebo, ex omni quam collegi verborum multitudine non plus quinque et quinquaginta verbis (octoginta septem locis) præpositionem adiectam reperies. Ex his autem longe plurima (duodequadraginta) nudum quoque casum regunt,[3] et de reliquis, quibus præpositio tantum subiicitur, vix quidquam colligi potest, quum semel — præter *accumbere*, *adrigere*, *inclinare*, *procumbere* — singula reperiantur. Hæc illa sunt:

accolere *iuxta:* St. Silv. V, 3, 27 *concilia heroum manesque beatos.*

accubare *iuxta:* Val. II, 193 *Phlegyan et Thesea.*

accumbere *cum:* 1) de convivis ad mensam discumbentibus: Mart. VIII, 50, 3 *bonus genitor cum plebe deorum.* 2) de concubitu: Mart. X, 84, 2 *accumbat cum qua vides.*

adducere *in:* St. Th. VI, 335 *in vires adducta Venus.*

adlevare *ad:* Val. VIII, 212 *ora ad seras dapes.*

adrigere *ad:* Mart. III, 76, 1 et IV, 5, 6 *ad vetulas.*

---

[1] Vid. Schneemann l. c. p. 7.

[2] l. c. p. 10 sqq.

[3] Horum exempla una cum ceteris afferentur, ut variæ cuiusque verbi constructiones sub unum aspectum subiiciantur.

congregare *cum:* Mart. X, 100, 3 *cum leonibus volpes.*
consurgere *cum:* St. Silv. I, 2, 117 *mecum.*
inclinare 1) *ad:* St. Silv. III, 2, 33 *pelagus ad ortus.* "vågorna lägga mot öster" Sundén. Th. I, 331 *lassumque inclinat ad aequora montem* (Cithaeron). 2) *in:* Th. VI, 855 *cervicem inclinat in austros* (cupressus) i. e. ita, ut inclinatione sua ventum quasi sequatur.
invertere *in:* Val. VII, 547 *in glebas aequora.* Pro scriptura codicis V *flammas*, quæ, quamquam sententiarum nexui repugnat, a Baehrensio retinetur, editores *glebas.* Madvig (advers. crit. p. 150) *liras*, quod vocabulum facilius loco cessisse et ad rem aptius esse putat.
obtorquere *in:* St. Th. V, 414 *laevas dextrasque in undas proram.*
procumbere 1) *ad:* Val. III, 557 *gratos ad amnes.* 2) *super:* St. Th. VI, 35 *nati reliquias.* P *prorumpere.*
profundere *iuxta:* St. Silv. II, 1, 31 *iuxta busta profusis matribus.*
proiicere *ad:* St. Silv. III. 3, 40 *proiectus ad ignes.*
prolabi *ad:* St. Th. III, 202 *castos fontes.* P *prolapsu in fontes*, unde Mueller *prolapsum fontes.*
prosternere *ante:* St. Ach. II, 234 *natum ante pedes prostravit* auctoritatem codicis P secutus edidit Kohlmann. Ceteri libri exhibent *proiecit*, quod a Queckio receptum est.
transferre *super:* St. Silv. III, 2, 8 *animae partem super aequora.*

Quod si ad singulas præpositiones animum attendas, hoc modo rem natam esse apparebit: 1) et casus nude positus et præpositio, vel ea, quæ verbo affixa est, vel alia similis fere notionis, sequitur verba, quæ a præpositionibus *ad*, *cum*, *in* incipiunt; 2) reliquæ præpositiones numquam iterantur, nec nisi raro verba, quibus inhærent, aliam admittunt. Nam verbis, in quibus inest aliqua e præpositionibus *ante*, *circum*, *inter*, *per*, *post*, *præ*, *præter*, *subter* solus casus semper adiungitur,[1] et verbis cum *pro* compositis præpositio non

[1] *personare* verbi præpositio semel iteratur (Val. II, 164 vid. infra s. v.), quo tamen loco nihil aliud quam ad vim augendam pertinere videtur præpositio verbo affixa.

additur nisi ad locum, in quem motus fit, planius designandum. E ceteris, *subire* verbum si excipias, singulis locis cum præpositione construuntur: *offendere*, *obtorquere*, *succedere*, *sufficere*, *subrepere*, *subvehere*, *superesse*, *transabire*, *transferre*. Ad rationem autem verbi accuratius definiendam adiungitur, ut supra iam diximus, interdum præpositio alia atque ea, quacum compositum est[1]. Substituuntur igitur pro 1) *ad:* in, cum (accumbere), inter et intra (admittere), iuxta (accolere, accubare), prope (adstare), super (addere); 2) *cum:* in (convenire); 3) *in:* ad, per (includere, infundere); 4) *ob:* in (offendere, obtorquere); 5) *pro:* ad, ante, iuxta, super; 6) *sub:* ad, in; 7) *super:* de (superesse); 8) *trans:* præter, super.

Iam vero, quid inter tres nostros intersit, si quæramus, Valerium in præpositionibus adhibendis parcissimum fuisse facile cognoscemus, quum undecim verbis (totidem locis) præpositionem addiderit: *ad*: adesse, adlevare, iniicere, procumbere: *de:* superesse; *in.* accedere, inducere, invertere; *iuxta:* accubare; *per:* personare; *super:* addere. Atque omnino, præterquam ubi solus casus ad rem significandam parum sufficiebat, videtur eam reiecisse. Frequentior est, etiam si carminum circuitum reputamus, præpositionis usus apud Statium, ut qui duodequadraginta verba (undequinquaginta locis) cum præpositione iunxerit: *ad:* accedere, admittere, advenire, advolare, inclinare, inpellere. invitare, proiicere, prolabi, subire; *ante:* prosternere; *cum:* consurgere; *in:* accingere, adducere, adhibere, admittere, adoptare, adportare, convenire, incidere, inclinare, incumbere, inferre, inlidere, inpellere, insurgere, offendere, obtorquere, sufficere, subire, subrepere, subvehere; *iuxta:* accolere, profundere; *per:* includere infundere; *prope:* adstare; *præter:* transabire; *super:* addere, procumbere, transferre. Ea est autem plerumque præpositionis ratio, ut aut universe in quam partem aliquid dirigatur, aut quid agendo expetatur vel efficiatur, aut in quid res mutetur vel transeat, ea ostendatur. Sæpissime vero — vicies

[1] Cfr Reisig l. c. § 419.

septies ad quindecim verba —, si quidem omnium verborum paucitatis rationem habemus, præpositiones apud Martialem inveniuntur: *ad:* accedere, addere, adferre, adligare, adrigere, invitare; *cum:* accumbere, congregare, committere, contendere; *in:* incidere, incurrere, inserere, succedere; *inter*, *intra:* admittere; *super:* addere. Neque dubium est, quin consuetudini quotidiani sermonis, cuius locutiones communes facile agnoscimus, magnam partem debeantur.

CAP. III.

Quum ad exempla verborum compositorum enumeranda iam transeo, ab iis, quæ cum *ab*, *de*, *ex* composita sunt, initium faciam. Quorum structuram maxime variam esse iam commemoravi, quum præter ablativum, vel nude positum vel cum præpositione coniunctum, etiam accusativum et dativum assumant. Inter præpositionem additam et ablativum nude positum nullum fere discrimen intercedit, nisi quod præpositione locus, unde motus fit, accuratius definitur. Usurpatur enim *de* præpositio, ubi ex superiore loco in inferiorem, *ex*, ubi ab interiore alicuius rei parte aliquid moveri indicatur; contra *ab* rem ab alia removeri atque separari generaliter significat. Sed sæpissime permutari has præpositiones notissimum est, ut multifariam ne minimum quidem discrimen perspiciatur. Accusativus autem tum suum habet locum, quum non tam unde motus exeat, quam res quasdam inter se disiungi atque separari universe indicatur; quare eum casum hæc verba adsciscunt, ubi eodem fere sensu quo *relinquere*, *evitare*, *superare* efferuntur, sive proprie sive translate adhibita sunt.[1] Dativus denique, qui his verbis additur, ad dativum commodi vel incommodi vulgo refertur.

[1] Exempla eorum verborum, quæ præter accusativum aliam structuram non patiuntur, in insequente capite tractabo.

Sed vide ne rectius eius rationem explicaverit Haase, qui hunc dativum ab eo, quem reliqua verba composita sibi adiungant, nihil differre putat. Nam ut illa appropinquandi et cohærendi notione prædita sunt, sic verba cum *ab*, *de*, *ex* composita rem ab altera seiungi atque amoveri significant.[1] Hic igitur dativus proprium suum habet locum neque aliam, quoad per vocabuli formam dispicere licet, nostri structuram admiserunt, ubi de personis sermo est.[2] Sed usurpatur de inanimis quoque rebus, tamque late eius campus patet, ut etiam ad relationem mere localem exprimendam adhibeatur. Quam ob rem, ubi eadem est dativi atque ablativi forma, sæpissime in medio relinquendum est, uter casus accipi debeat.[3]

abscedere Val. IV, 636 *terris*.

abducere verbo dativi additi aperta forma est: Val. VI, 298 *parentis immemorem abducere pugnae*. Sed quoniam de persona agitur, non dubium est, quin dativum his quoque locis intelligi oporteat: Val. VIII, 156 *Colchis natas*. Mart. VII, 93, 3 *nobis Quintum*. VIII, 21, 5 *Ledaeo Cyllaron astro*. Ceteris tertius an sextus casus legatur, parum liquet: Val. V, 159 *vincula saxis*. V, 162 *flumina ponto*. VII, 49 *gremiis natas*. St. Th. XI, 729 *coetibus* (Oedipoden).

abesse verbum duas habet significationes, quarum utra prævaleat, non semper diiudicari potest. 1) = remotum, seiunctum esse. Adiungitur a) proprio sensu ablativus: Val. Fl. II, 24 *scopulis illis maximus horror* (Typhoeus). III, 629 *unum tanto coetu*. St. Th. V, 361 *aberant terris*. Editores ex plerisque libris *aderant terrae*. Veram lectio-

---

[1] Verba ipsa Haasii (Vorles. II p. 126) hæc sunt: »In der That tritt das Woher da ein, wo von den vorher besprochenen Begriffen (= verborum compositorum, quibus dativus subiicitur) der Gegentheil ausgedrückt wird, also die Negation der localen Verbindung, des Zusammenhangs; —. Es ist in beiden Fällen der Zusammenhang mit etwas, der in der einen Weise als sich verwirklichend, in der andern als sich aufhebend ausgesagt wird».

[2] A qua regula recedunt verba *abigere*, *abire*, *exigere*, quibus Martialis singulis locis præpositionem apposuit.

[3] Cfr R. Kuehner, Ausführl. Grammatik d. lat. Sprache. II § 80, 3, A. 1.

nem, quam P exhibet, restituit Mueller. Addito *procul:* Th. VII, 229 *Aoniis procul campis.* Dativus personæ legitur: Th. III, 667 *procul haec tibi mollis infula terrificique aberit dementia Phoebi.* b) sensu translato α) præpositio *ab:* Mart. I, pr. 7 *absit a iocorum nostrorum simplicitate malignus interpres.* β) incerta casus forma: St. Th. VI, 630 *fraus cursibus.* Mart. VII, 7, 6 *nostris votis.* 2) = non esse, deesse. Sequitur dativus: St. Th. IV, 143 *fratribus horror.* Mart. VII, 25, 6 (facies.) *cui gelasinus abest.*

auferre 1) = ferendo amovere. a) cum præpositione α) *ab:* St. Silv. II, 1, 61 *ab ore dapes libataque vina.* β) *ex:* Th. VIII, 441 *ex humero dextram.* b) cum ablativo: Val. II, 543 *vinclisque tenentibus aufert virgineas de rupe manus.* Verba *de rupe* ad *virgineas manus*, non ad verbum enuntiati referri cognoscitur ex I, 412 *inmissus patrios de vertice crines.* Cfr etiam exempla, quæ collegit Schmitz l. c. p. 42. Idem igitur valent hæc verba quod "virginis manus ad rupem adstrictas". III, 56 *praesepibus aufert pecus* (Pan). III, 266 *se deus agmine matris abstulit.* St. Th. VI, 181 *invisam exsequiis.* Versus septem, quorum pars sunt hæc verba, quum in P (et Bamb.) non exstent, Muellerus uncis inclusit. XI, 135 *visus nocentibus arvis abstulit* (pater omnipotens). Mart. V, 42, 1 *nummos arca.* IX, 101, 8 *aeripedem silvis cervam, Stymphalidas astris abstulit* (Alcides). 2) = adimere, eripere. Sequitur dativus: Val. I, 497 *ratem spectantibus aer.* I, 640 *illam* (alnum) *Zephyris aufert Notus.* III, 542 *spes nymphis Achaeis.* VIII, 65 *vigilanti hostemque videnti exuvias.* St. Silv. III, 3, 191 *genitorem Scipio Poenis.* V, 1, 7 *rogis umbram.* V, 2, 82 *pacem rogis.* Th. VII, 561 *Boreae Notus aequor.* VII, 754 *fortunam hastis.* Mart. Sp. 2, 8 *miseris tecta superbus ager.* Sp. 33, 1 *quantum tibi heres.* II, 51, 3 *hunc tibi copo.* VI, 88, 4 *centum quadrantes illa mihi.* X, 51, 6 *quos, Faustine, dies, quales tibi Roma Ravennae abstulit.* Pro depravata lectione *Ravennae* (vel *-am*) Haupt (Opusc. III p. 532) librorum vestigia, quantum

fieri potuit, secutus *rapinas* proposuit. XII, 53, 9 (illudas) *quibus auferasque mentem.* XIV, 18, 2 *pueris illa* (alea) *nates.* T errore librarii *obtulit.*

abigere 1) *ab:* St. Th. X, 92 *truces a culmine ventos.* Mart. X, 33, 7 *a nobis.* 2) ablativus: Val. V, 627 *Pallada caelo.* St. Th. II, 54 *agricolas campis.* III, 37 *pecus silvis abegit imber.* XI, 725 *hunc tectis.*

abire verbum iungitur 1) cum præpositione a) *ab* sequente casu α) personæ: Mart. XII, 17, 2 *a te non abeat febris.* β) rei: St. Th. I, 666 *a limine Phoebi.* Mart. XII, 70, 8 *a thermis.* b) *de:* Mart. IV, 61, 10 *de theatro.* Versus 9—12 in T omissos reliqui libri servarunt. Exstat alterum quoque exemplum: St. Th. VIII, 187 *media de morte timendum hostibus infestaque abeuntem vidimus hasta;* sed nescio an Barthio assentiendum sit, qui optimum illud exemplar suo more afferens pro *de* scriptum vult *te.* Nam et durius illud *timendum* ad participium *abeuntem* refertur, et aptissima est ad vim sententiæ augendam pronominis *te* repetitio. Quod si ita est, verba *media morte* eundem fere intellectum faciunt, qui adiuncta tertia verbi persona est Verg. Aen. II, 533 *quamquam in media iam morte tenetur.* c) *ex:* St. Th. X, 641 *abiit horrorque vigorque ex oculis.* 2) cum ablativo: Val. IV, 203 (scopuli,) *qui montibus altis summus abit.* St. Silv. II, 5, 4 *domo.* Mart. Sp. 16, 1 *abit media taurus arena.* Additum est *procul:* St. Th. XI, 669 *procul abi victoribus omen invisum,* ubi *victoribus* etiam ad adiectivum *invisum* pertinere potest. De casu cfr St. Th. III, 667 s. v. *abesse.* Restat Val. VI, 147 *abeunt Hypanin fragilemque per undam. Hypanin* accusativum a verbo *abeunt* pendere putat Lemaire, qui explicat "transeunt". Sed ad utrumque substantivum pertinere præpositionem alteri tantum appositam docet Schmitz l. c. p. 8.

abiungere St. Silv. I, 3, 76 *Egeriae nemoralem abiungere Phoeben.* Codicum scripturam *adiungere* falsam esse ex ipso sententiarum nexu facile agnoscitur, et in Sangallensi *abi.* scriptum fuisse adnotationes Politiani satis demonstrant.

At *Egeriae*, quod librorum consensus tutatur, cur editores, Handium auctorem secuti, in *-a* mutaverint, nihil reperio, quum personæ nomen sit et simplici verbo sæpissime tertius casus adiungatur. Adde quod librorum lectione servata facilius explicatur, unde ortum sit *adi.* pro *abi.*

amovere verbum sequitur dativus personae: Val. III, 114 *Genyso coniunx amoverat arma.* Sequente *longe* adverbio apponitur *ab:* St. Th. IX, 81 *tumidum longe a corpore.*

abripere St. Ach. I, 939 *abripitur miserae permissus Achilles*, ubi Queck per imprudentiam, credo, edidit *erip.* Ceteris locis dativus an ablativus sit, vocabulorum forma non indicatur: Ach. II, 307 *propinquis abripitur terris.* In P. vitiose *arr.* Contra Th. I, 122 *genetrix curvo delphine vagantem abripuit frenis* P. veram exhibet lectionem, quum reliqui præter Bamb. præbeant *arrip.* Th. I, 603 *animas altricum gremiis.*

abrumpere Val. VI, 84 *abruptus pelago Tyra.* St. Th. V, 338 *radicibus Ortygiam.* De Silv. I, 362 vid. s. v. *demere.*

abscindere et **abscidere** verba quum in codicibus sæpissime inter se commutentur, utrum verum sit, non semel dubitabis. Nam ut librorum consensu firmatur St. Silv. III, 2, 61 *abscissum miseris animantibus aequor*, ita inter se discrepant codices: Mart. III, 81, 3 *abscissa est tibi mentula*, ubi in aliquot libris legitur *abscisa*, et III, 85, 1 *nares abscidere moecho*, ut ex auctoritate codicis T locum edidit Schneidewin. Val. I, 827 *rebusque abscisa supernis Tartarei sedet aula patris* coniectura Barthii *abscisa* introductum est. In V scriptum est *adcisa*, quod sententia non patitur; cod. Carr. habet *abscissa.*

absilire St. Th. VI, 98 *nidos tepentes absiliunt aves.* P. *adsiliunt.*

absistere 1) proprio sensu = discedere: St. Th. V, 23 *tuis alacres absistimus undis.* Pro vulgata lectione *adsistimus* Muellerus (Cfr quæ ad hunc locum adnotavit.) unius P. auctoritate contentus *abs.* in textum recepit. *Mart.* VII, 15, 1 *quis puer hic nitidis absistit Ianthidos undis?.* ubi

in uno codice vitiose scribitur *adsistit.* 2) translato: Val. III, 451 *cunctis absistite bellis.* St. Th. V, 669 *ferro.*

abstinere Val. VI, 23 *abstineant alienae sanguine pugnae.* St. Th. II, 520 *pecus abstinet herbis.*

avellere verbum cum ablativo (dativo?) iungitur: Val. I, 304 *fatidicis silvis me* (quercum). VII, 48 *templis sacrata dona.* St. Th. II, 561 *saxum rupibus.* P. (et cod. anon.) *evellit.* III, 299 *ensem dextra.* Fortasse legendum est *dextrae*, quod in P scriptum est *-e* unco infra posito. VI, 685 *avellitur astris* (Solis opaca soror). X, 534 *saxa avulsa moenibus.*

avertere verbum sequitur 1) ablativus a) proprio sensu: St. Silv. V, 3, 96 *aversa caelo sidera.* Th. I, 683 *aversum fama Mycenis volvit iter.* V, 297 *aversum Lemno iubar.* P mendose *adversum.* VII, 350 *amnem ponto.* VII, 405 *aversi suis decursibus amnes.* Auferendi notio verbo subiecta est: Val. V, 629 *vellera sacra lucis.* = arcere, defendere: Val. II, 572. *regnis fata.* Coniectura Heinsii *avertere*, a Baehrensio in textum illata, præferenda videtur scripturae librorum *vertere*, quam retinent Thilo et Schenkl. Cfr tamen Verg. Aen. VI, 376 *desine fata deum flecti sperare precando.* b) translato: St. Th. IV, 92 *pectore Thebas.* VII, 110 *animum veris.* Falsa est codicis P. lectio *animoque avertere vires.* VIII, 211 *aversa pectora bello.* 2) *dativus* a) proprio sensu: St. Silv. V, 2, 95 *timidae Cerberon umbrae.* b) translato: St. Silv. V, 3, 60 (gemitum,) *cui te nec Cerberus nec Orpheae quirent avertere leges.* = iniquum reddere: Val. III, 491 *Pallada dolis fratri.*

decedere verbo ablativus semper adiungitur: Val. II, 297 *patria terra.* II, 401 *tota Lemno.* III, 736 *solisque negat decedere silvis.* Spreta auctoritate codicum pro *solis* Baehrens scripsit *solum*, quod vocabulum ad infinitivi subiectum, quod auditur, referendum est. Scripturam librorum tuetur H. Koestlin, Philol. 39 (1880) p. 429. IV, 522 *Agenoreis tectis.* St. Th. II, 61 *recto limite caeli.* II, 344 *tuis Thebis.* IV, 366 *decedit stabulis* (lupus). V, 12 *Paraetonio decedunt agmina Nilo.* VI, 620 vid. s. v. *descendere.*

Translate verbum positum est: Th. I, 317 *regno*. Duobus locis, ubi *discedere* cum *ab* præpositione iunctum exhibent libri, *decedere* in contextum verborum inseruit Baehrens, verbum *discedere* nisi de discessu ab hominibus usurpari negans: Val. VII, 558. St. Silv. III, 2, 128. Quod quam verum sit, qui exempla verbi discedendi a Klotzio (lex. s. v.) allata perlegerit, facile intelliget. Vid. etiam s. v. *degredi*.

decidere Mart. XII, 14, 4 *acri decidit excussus equo*.

decīdere St. Silv. I, 5, 36 *decisa metallis purpura*.

deculcare St. Th. I, 623 *aspros molares genis*. "illidere, impingere" explicat Forcellini (lex. s. v.). Melius mihi videtur Barth rem intellexisse: "dentes monstro decussos".

decurrere verbum, ubi locus respicitur, unde quis currit, sequitur 1) præpositio a) *ab:* Val. III, 125 *ab arce*. St. Th. IV, 379 *vertice ab Ogygio*. b) *ex:* St. Th. VI, 409 *e summo decurrunt flumina monte*. Ab interpolatore versum importatum esse adnotatione sua demonstravit Muellerus, qui eum uncis inclusit. 2) ablativus sine præpositione: Val. I, 255 *summo decurrens vertice Chiron*. III, 591 *intento decurrit montibus arcu* (Tirynthius). Probabilis mihi videtur emendatio Baehrensii *discurrit*, quam in textu posuit, optimeque ad sententiarum nexum convenit; nam legimus v. 593 *volat ordine nullo cuncta petens*. De particularum *de-* et *dis-* in libris confusione cfr Forbiger ad Verg. Georg. II, 8. Transitive usurpatum verbum idem valet atque recitare, narrare: St. Silv. II, 1, 114 *facundi orsa Menandri*. V, 3, 149 *equos pugnasque virum decurrere versu*.

deducere verbo subiecta est *ab* præpositio: Val. VI, 261 *avem ab aere rami*. Duobus præterea locis hoc verbum apud Val. reperitur: I, 275 *sol ruit et totum Minyis lactantibus undae deduxere diem*, ut locum scriptura cuiusdam codicis inferioris notæ accepta edidit Thilo. diem ab undis deduci Valerium pro solita audacia dixisse ratus, quod solem in mare occidentem poetæ vulgo fingerent. Lectionem codicis V *diduxere* retinuit Baehrens, de lumine

solis per undas sparso cogitans. Sed sive hoc sive illud probatur, *Minyis laetantibus* ad sententiam universam refertur neque a verbo pendet. Alter locus IV, 275 *summos manibus deducere caestus* quid significet, neque intelligo neque explicant interpretatores. Vid. Jahrb. f. class. Philol. 89 (1864) p. 403. Baehrens edidit *summis manibus diducere.* Reliquus est locus: St. Ach. I, 7 *tota iuvenem deducere Troia*, quem falso interpretatus est Lemaire: "volo, inquit, iuvenem a tota Troja, i. e. ab omnibus rebus, quas circa Ilium gessit, segregare." Veram esse Barthii explicationem: "omnem eius historiam decantare" cernitur ex verbis, quæ paullo supra leguntur v. 4 sqq. Cfr Teuffel l. c. p. 724. *tota Troia* igitur non est ablativus separativus, sed viæ, qui vocatur, idemque significat quod *per totam Troiam.*

deesse verbum semper construitur cum dativo. 1) = non esse a) dativus personæ: Val. I, 187 *non clamor anhelis nauticus aut blandus testudine defuit Orpheus.* II, 314 *illis furor improbus.* VII, 95 *numquam mihi dextera nec spes defuerit.* St. Th. II, 16 *tabes invidiae functis et iam lumine cassis.* VIII, 368 *cuncta phalanx sibi deesse putat* (sc. te). Mart. I, 92, 4 *nil tibi.* IV, 39, 6 *desunt tibi vera Gratiana.* V, 78, 3 *non deerunt tibi viles Cappadocae gravesque porri.* VII, 74, 3 *tibi lascivi copia furti.* VIII, 21, 12 *non deerit populo dies.* In T apertum est vitium *non erit.* XII, 42, 4 *verba tibi.* XII, 60 b, 2 *ne calda Sabello desit.* Cfr XIV, 105, 1. Addita est præpositio *de* ad indicandum, unde quid desit: VII, 96, 3 *sex mihi de prima deerant trieteride menses.* b) rei: Val. III, 294 *fatis id defuit unum.* IV, 716 *desint Syrtibus undae.* Varias in hunc locum virorum doctorum coniecturas (cfr Madvig, advers. crit. p. 144; C. E. Sandstroem, Emend. in Propert., Lucan., Val. Flacc. Upsala Universitets årsskrift 1878 p. 34; Koestlin, Philol. 39 (1880) p. 51) nihil attinet commemorare, quum verba allata vera esse inter omnes constet. V, 542 *nostris derat labor arduus actis.* St. Silv. II, 1, 136 *verecunda praetexta decori.* Th.

I, 218 *Aeoliis incudibus ignes.* VI, 926 *victoria una ducum numero.* VIII, 236 *nullis sua fabula mensis.* X, 437 *hoc cladibus.* *Mart.* IV, 67, 3 *suis haec tantum deesse trecentis.* XIII, 1, 1 *toga cordylis et paenula olivis.* T *picenula.* XIV, 22, 2 *tibi* (dentiscalpio) *frondea cuspis.* Dativi loco deprehenditur præpositio *in* ab alia cogitandi ratione profecta; significat enim, cuius rei causa alqd desideretur: St. Silv. I, 165 *artae desunt in munera flammae* 2) = alqm deserere, quod convenit non præstare: Val. VII, 174 *tibi defuimus.* St. Silv. V, 2, 162 *tu mihi.* Th. V, 133 *superis vocantibus desumus.* X, 23 *deest coeptis* (ductor).

defendere 1) = contra alqd tutari sequitur *ab:* Val. I, 35 *Lernae defensus ab angue.* VII, 164 *casu ab omni Aesoniden.* 2) = prohibere, avertere sequitur dativus: St. Th. IX, 318 *senium famae.* Alia significatione usurpatum idem est quod vindicare, asserere sequente dativo eius, cui alqd vindicatur: St. Silv. I, 3, 4. Th. II, 360. IV, 402.

deferre verbo *ab* præpositio apposita est: Val. IV, 159 *hostis externis delatus ab oris.*

deficere verbum duobus locis cum dativo (Cfr Kuehner l. c. II § 70, 1, A. 1.) iunctum invenitur: 1) = deesse: Val. II, 597 *ne defice coeptis.* 2) = non sufficere: St. Ach. I, 446 *puppibus aequor.* Alibi semper sequitur accusativus: St. Silv. V, 1, 35 *Tithonida maesti rores.* Mart. I, 11, 3 *portantes calda ministras.* Eodem sensu absolute: Mart. VIII, 40, 6. Absolute ponitur etiam ubi significat vires amittere, animo demitti: Val. IV, 246. V, 446. VI, 635. Mart. I, 101, 9. II, 6, 14. IV, 89, 7. V, 39, 4. al. Participium *defectus:* St. Th. VI, 798. VII, 638. Passiva forma *defieri* legitur: Val. VI, 39.

deflectere verbum translate usurpatum cum *ab* præpositione iungitur: Val. VIII, 76 *ab hac oculos cura.* St. Silv. II, 1, 59 *tumentem ab ira.* Libri nullo sensu *timentem.* Editores receperunt *tumentem*, quod Domitio debetur. Baehrens solus scripsit *timendum.*

degenerare verbi ab adiectivo *degener* derivati structuram

ter variavit Statius. Adhibetur enim 1) transitive = dehonestare: Silv. III, 1, 160 *tantum non degenerabit honorem.* 2) intransitive = degenerem fieri a) cum ablativo: Th. IV, 149 *famaque immanis alumni degenerat* (Tiryns), ubi contra omnium librorum auctoritatem *famam* mutare voluerunt Heinsius et Marklandus. b) cum dativo: Th. I, 464 *Marti paterno.*[1].

deiicere semel cum *ab* præpositione construitur: Val. VIII, 289 *deiecta suis a montibus arbor.* Præpositio, quam versus flagitat, in V omissa est. Reliquis locis sequitur nudus ablativus: Val. III, 594 *deiecta saxis flumina.* St. Th. I, 20 *vertice Dacos.* V, 177 *noctem Olympo Iuppiter.* VIII, 39 *me fortuna polo.* VIII, 427 *cruorem genis.* Translate: Th. V, 47 *regno deiecta* (Hypsipyle).

delabi Val. II, 62 *delapsa polo* (sidera). III, 533 eadem verba de Iunone. St. Th. II, 257 *delapsus culmine templi, Arcados Euhippi spolium, cadit aereus orbis* P secutus edidit Mueller. Ceteri libri habent *delapsum*, ad *spolium* relatum, quod Queck in textu posuit. VIII, 173 *delapsa numina castris.* Dativus legitur: Val. VII, 399 *Venus dextrae delapsa tenenti*, quod a Baehrensio servatur, quum Thilo et Schenkl lectionem codicis *ψ dilapsa* receperint. Eundem casum intelligo: Mart. VII, 82, 6 *delapsa est misero fibula.*

demere verbum dativus sequitur eius, qui alqa re privatur: St. Silv. I, 3, 63 *ignaros forsan vel lubrica Nais vel non abruptos tibi demet Hamadryas annos* scripsit Baehrens, quem si sequemur, *tibi* dativus ad *demet* referendus est. Atque cum Baehrensio facit L. Grasberger (Jahrb. f. class. Philol. 115 (1877) p. 771), nisi quod *absumptos* pro *abruptos* scribendum censet. Locus sane difficillimus est, neque, quantum intelligo, adhuc sanatus. Tutius igitur servatur codicum scriptura — *ignaro* pro *ignaros* —, quam explicare conatus est Doelling (Vid.

---

[1] **degredi** verbum cum *digredi* in libris sæpe confusum Baehrens ab auctoritate codicum recedens duobus locis in textum inseruit: Val. VI, 754. St. Silv. I, 3, 93.

Jahrb. f. class. Philol. 30 (1840) p. 307), quum *ignaro* (sc. domino) ad *demet*, *tibi* ad *abruptos* referens ita vertit: "Jetzt auch rechnet dem Herrn die Najade oder die Hamadryade die Zeit nicht, die er dich schonte". I. 4. 45 *armatas sibi vires.* V, 3, 230 *dies quantum potuit dempsisse senectae.* Th. VII, 76 *reverentia patri demat minas.* VII, 705 *fatis iura.* X, 93 *murmura alitibus.*

demigrare St. Silv. I, 2, 4 *demigrant Helicone deae.*

demittere sequitur 1) præpositio a) *ab:* Val. VI. 64 *geminas a vertice vittas.* St. Th. X, 758 *supero demissus ab axe* (Menoeceus). b) *ex:* St. Ach. I. 609 *e tereti nebrida collo.* Ante Kohlmannum editores contra auctoritatem librorum *a* scripserunt. 2) nudus casus, quem pro ablativo habeo: Val. IV, 77 *nubibus Irin.* V, 691 *noctem demittit Olympo* ex Bonon. scripserunt Schenkl et Baehrens. Prava est scriptura codicis V *dimisit*, quam retinuit Thilo. St. Silv. I, 2, 154 *silvis demissa vetustis frigora.* Th. II, 359 *oculos polo.* Lectionem codicis P *dimittere* retinuit Queck. XI. 274 *caelo demissa lues.* Participium *demissus* = oriundus: St. Th. II, 613 *Chromis Tyrii demissus origine Cadmi.* Alia autem est ablativi ratio his locis, ubi idem quod præpositio *per* sequente accusativo significare videtur: Silv. II, 1, 85 *serie generis demissa propago.* III, 3, 44 *proavis stemma.* Th. III, 286 *Iovis serie genus.*

demorari verbo adiungitur ablativus eius rei, unde quis detinetur: St. Th. IV, 774 *fessos optatis undis.* Dativus commodi est: Th. VII, 364 *seras tibi demoror umbras*, quod vertit Bindewald: "Nur dir zur Liebe mag ich noch leben".

depellere Val. III, 565 *Tirynthius arcibus ornos depulerat.* St. Silv. V, 3, 34 *situm depellere chordis.* Schraderi correctionem *chordis* pro *curis* recepit Baehrens. Vulgatam lectionem quomodo interpretati sint editores, nescius sum. Equidem, quid sit *situm depellere curis labente manu*, non reperio. Dativus est: Val. VI, 652 *nato non depulit ictus.* Cfr. Ovid. Her. XIV, 130 *mortem fratri depulit.*

dependere verbum sequitur ad locum significandum, unde alqd pendet, 1) *ab* (dativo addito indicatur, cuius id sit, a quo res dependet): St. Th. IV, 19 *cunctis dependet ab armis suspiranda domus.* IV, 743 *illi ab ubere Opheltes.* 2) ablativus: St. Th. VIII, 640 *dependet languida cervix exterior clipeo*, ubi *clipeo* fortasse melius ad *exterior* refertur. Mart. III, 72, 3 *tibi pannosae pectore mammae.* VII, 95, 11 *livida naribus caninis glacies.* 3) dativus: St. Th. I, 609 *lateri duo corpora parvum dependent*, de quo vid. Haase l. c. II p. 127. F. Neue (Formenlehre d. lat. Sprache I p. 246.) *lateri* pro ablativo habet.

depromere Val. V, 214 *arma celsa puppe.* VII, 450 *Titania gramina Perseasque sinu vires.* St. Silv. II, 3, 27 *depromit pharetra telum breve.* In duobus libris apertum est mendum *decrescit.*

deripere 1) ablativus: St. Th. III, 567 *vittas damnataque vertice serta deripit.* P *diripit.* 2) dativus a) personæ: Val. VI, 668 *blandae derepta monilia divae contrectat*, ubi genitivus quoque intelligi potest. V *direpta.* b) rei: St. Th. II, 122 *ramos ac vellera fronti deripuit.* Omnes præter Muellerum editores scribunt *dir.*, quamquam in libris optimis est *der.*, in P mendose scriptum *deripiuit.* Accedit locus, ubi parum manifesta est casus forma: Val. II, 160 *plaustro derepta nurus.* Thilo ex codice ψ scripsit *direpta.* V *directa.* Lectionem *derepta* a Schenkelio et Baehrensio receptam Heinsio debemus.

descendere verbo apponitur 1) præpositio a) *ab:* Val. I, 538 (regio,) *quae immenso descendit ab Euro.* St. Ach. II, 297 *Peliaco raptus descendat ab antro* (Aeacides) ex deterioribus aliquot codicibus vulgo editores. Levissima correctione veram lectionem *Peliacoque rates escendat ab antro* e codice P, qui *excendat* exhibet, restituit Kohlmann. Th. IX, 525 *ab infestis aequora saxis.* XI, 89 *ab astris fragor.* XI, 53 *ab aere vulnus.* b) *ex:* St. Th. VI, 930 *ex aggere.* 2) nudus ablativus: Val. III, 652 *montibus auster.* St. Th. VI, 620 *toto descendere circo.* Scriptura *discendere* a Kohlmanno in P inventa Mueller, qui in edi-

tione sua vulgatam *decedere* proposuit, *descendere* in textum recipiendum censet. Vid. Elect. Stat. p. 26. Translate: St. Th. II, 396 *regno*. De origine: St. Silv. V, 3, 210 *stirpe tua*. Kuehner (l. c. II § 70, 4 B) *descendere* inter verba compositione transitiva facta enumerat, Val. IV, 353 *descendere terras* laudans. Sed *in* præpositionem Heinsius coniectura supplevit atque receperunt editores.

desecare St. Silv. II, 2, 85 *desecta metallis saxa*. Libri *delecta*.

deserpere verbum a Statio novatum apud Apuleium iterum invenitur (Cfr Grosse l. c. p. 29.): St. Th. VI. 586 *deserpit genis* (lanugo).

desilire semel coniungitur cum præpositione *ab*: St. Th. IX, 221 *Centaurus ab Ossa*; alibi semper cum nudo ablativo: Val. IV, 355 *Iuno aethere*. St. Th. III, 293 et VIII, 600 *curru*. IX, 272 *desiluit ripis Agenor*. X, 636 *caelestibus plagis* (diva). XI, 472 *polo* (Pietas).

desistere verbum sequitur dativus: St. Th. V, 274 *iusto mea cura labori destitit*. Incertus est casus: Th. IV, 493 *inceptis sacris*. Ablativus gerundii invenitur: IV, 583 *desiste canendo*. Contra infinitivus adhibitus est: Silv. II, 1, 183. Ach. I, 90. Th. III, 336. XI, 169.

desolare = spoliare, privare. St. Th. IX, 672 *desolatum magistris agmen*. X, 180 *loca desolata regibus*. Eodem sensu, quo simplex verbum, usurpatum est: Silv. II, 1, 67.

despicere verbum cum *ab* præpositione iunctum in translatam abiit vim: St. Silv. II, 2, 132 *celsa tu mentis ab arce despicis errantes*. Cui subiicio

despectare frequentativum, quod solum ablativum assumit: St. Silv. III, 1, 137 *ingenti Tirynthius arce despectat fluctus*.

destringere Val. VII, 330 *quae sanguinea lunae destrinxit ab ira* (Medea). Quamquam hic locus mirus videtur, nihil est cur cum Schenkelio et Baehrensio coniecturam Heinsii *sanguineo ore* accipiamus. Res enim ipsa Lemairii adnotatione satis declaratur, et in verbis Valerius morem suum non migravit. Nam *sanguinea* adiectivum, quod ad *lunae*

proprie pertinet, per hypallagen (Cfr Gebbing l. c. p. 71) ad *ira* refertur, et *ira lunae* usitatissima figura periphrasi (p. 35) dictum est pro *irata luna*. Quare idem fere videntur haec verba significare ac si scriptum esset "irata luna, sanguineo rubore suffusa" vel tale aliquid. Neque vero prætermittendum est versus 322—359 in V deesse. Cfr Thilo in hunc locum.

detergere St. Silv. I, 3, 109 *omni detersus pectora nube*. Heinsius *detersus*, libri *detectus*.

detrahere verbum semper sequitur dativus 1) proprio sensu: Mart. III, 43, 4 *personam capiti*. VI, 93, 4 *detracta cani cutis*. = eripere, adimere: Th. VIII, 370 *nubes invida Parrhasiis unum si detrahat astris*. 2) translato: St. Silv. IV, 6, 66 *catenatos Bromio Indos*. = obtrectare: Mart. XI. 94, 2 (lives) *nostris* (et ubique) *libellis detrahis*.

deturbare St. Th. VI, 585 *ipsum fracto curru*.

devehere verbum iungitur cum *ab* præpositione: St. Th. IV, 137 *illum Palladia sonipes Nemeaeus ab arce devehit*.

devertere verbum et deponens **deverti** ablativus sequitur: St. Th. II, 721 *Aonia devertis Ithone*. III, 45 *saltu devertitur pastor*.

devolvere Val. II, 89 *Vulcanum vertice caeli*. II, 235 *se toris trunci devolvunt*.

exarescere vid. s. v. *exhorrere*.

exaudire verbi præpositio geminatur: St. Th. II, 260 *eque adytis exaudita tuba*.

excedere verbum construitur 1) cum ablativo a) proprio sensu: Val. V, 335 *castis lucis*. VII, 440 *patriis tectis*. St. Th. IV, 545 *maesto luco*. X, 135 *nigrantibus antris*. XI, 695 *nefandis sedibus*. Mart. II, 24, 3 *patria terra*. b) translato: St. Silv. I, 4, 53 *bis senis lustris*. III, 3. 148 *toto censu*. Th. VII, 558 *pactis regnis*. 2) cum accusativo a) proprio sensu: St. Silv. IV, 2, 22 *nec magnum raperes excedere caelum* præbent libri manu scripti. Quod quum aperte vitiosum sit, editores Gronovio auctore scripserunt *ne — escendere*, quae verba recte interpretatus est Sandstroem (Studia critica in Pap. Statium. Up-

sala Universitets årsskrift 1878 p. 28.): "lætari numina ideo te pari sede locatum, ne in coelum escendere festines". Sed quod addit "effectu huius ædificationis, non consilio lætari deberent numina" vix intelligo. Nam quomodo lætari potuissent numina Domitianum pari sede locatum esse, nisi effecta esset illa sedes? Audiendus ergo est alter infinitivus a *laetantur* pendens: *idque factum esse, ne* cet. vel simile aliquid. Nec vero Sandstroemio non concedendum est perversissimum esse horum verborum sensum. At ea, quam ipse proposuit, emendatio: *nec magnum properos excludere coelum* non valde mihi probatur. Nam si poeta ita voluisset, in priore sententia potius dixisset: *seque pari laetantur sede locata.* Quod si accipimus, optimus efficitur intellectus lenissima mutatione: *nec magnum properant escendere caelum.* Sed haec hactenus; Statii verba restituenda aliis relinquamus. b) translato = egredi, superare: St. Silv. V, 5, 57 *iustum excessisse pudorem.* Ach. II, 206 *Ithacum humeris excedere Aetolumque ducem.*

excidere 1) proprio sensu cum ablativo: Val. IV, 457 *unguibus atris.* St. Silv. V, 3, 128 *puppe magister.* Th. IV, 281 *feta viridis puer excidit orno.* 2) translato a) cum ablativo: Val. IV, 580 *vox haec excidit auris.* A Lachmanno inventum est illud *auris;* in libris scriptum est *aures,* unde Schenkl scripsit *accidit aures,* quod Gifanius proposuit. Cfr v. *accidere.* V, 653 *corde tumor.* b) cum dativo personæ: St. Th. V, 542 *attonito moriens vagitus in auras excidit.* VII, 258 *vetus ira Dianae.* Sæpe refertur ad memoriam et significat rem e memoria exire: St. Silv. V, 2, 88 *excidat illa dies aevo* i. e. ex omnium temporum memoria. Th. III, 302 *nec mihi foedera Cadmi nec tua cara fides exciderunt.* XI, 579 *monstrum infame futuris.* Mart. I, 96, 14 *mihi nomen.* IV, 11, 5 *fatum tibi nominis huius.* VIII, 56, 17 *excidit attonito pinguis Galatea poetae.* T mendose *accedit.* Huc referri debet etiam: St. Th. III, 362, de quo cfr quæ adnotavit Muellerus.

excīdere St. Th. V, 308 *excisa mundo* (insula).

excipere St. Silv. I, 2, 110 *tellure cadentem excepi*, quæ verba redeunt V, 5, 70.

excire verbo *ab* præpositio semel adiuncta est: St. Th. I, 228 *excitam a sedibus imis Eumenidum aciem.* Sequitur solus ablativus: Val. I, 791 *excite parens umbris.* St. Th. II, 180 *te solio Sicyonis.* VI, 251 *cunctis arvis ac moenibus exciti.*

excludere verbum ablativum assumit: St. Silv. II, 3, 61 *exclusos gurgite ramos.* III, 2, 12 *astra toto caelo.* III, 3, 106 *animo voluptas.* V, 5, 31 *hilaresque hederas plorata cupressus excludit ramis*, ubi in vocabulo *ramis* de casus natura ambigi potest. Th. VII, 823 *lucem Averno.* Mart. IV, 60, 5 *nullo fata loco.*

excursare St. Th. II, 550 *innumeris latebris.*

excutere verbum sequitur 1) *ab* præpositio: Val. II, 185 *ab ubere natos.* VIII, 82 *dulcesque excussit ab arbore somnos* servata codicum lectione edidit Thilo. Et satis artificiose Lemaire hæc verba ita explicat: "somnum incessentem ab oculis defendere conatus est eo, ut corpus moveret, et ab arbore in terram serperet". Sed "excutere somnos ab arbore" pro "ab arbore in terram serpendo depellere somnum" etiam Valerii breviloquentiam superat. Schenkl (Cfr Stud. p. 84) et Baehrens in textum admiserunt *corpore* Heinsii coniecturam. 2) solus ablativus a) proprio sensu: Val. I, 618 *manibus remi.* IV, 413 *crinibus hydri.* St. Th. II, 83 *excussae leonum ore dapes.* Versus 81—88 ab interpolatore profectos existimat Sandstroem (Stud. crit. p. 41). III, 249 *Thebas correptaque moenia fundo.* V, 603 *ore cibos.* IX, 486 *manu tegimen.* X, 546 *lora manu.* X, 40 *amplexus dextrasque humeris.* Mart. XII, 14, 4 vid. s. v. *decidere.* b) translato: St. Th. II, 570 *agmen excutitur coeptis.* 3) dativus personæ: St. Th. VIII, 497 *parmam tenenti.*

edere verbi participium passivum cum ablativo iunctum originem significat: St. Silv. II, 1, 142 *editus Aeolia Creusa.* Mart. XI, 53, 2 *Rufina Britannis.*

educere Mart. X, 37, 15 *educta profundis lina.* Dativum accipio: Val. VII, 453 *praesenti leto*, quoniam idem verbum valet atque eripere, servare.

efferre semper ablativum regit: Val. I, 642 *Neptunus fundo caput extulit.* II, 532 *mediis elatus aquis.* St. Ach. II, 244 *arcanis effert tenebris Deidamia gradum.* Theb. II, 134 *Mygdoniis elata cubilibus Aurora.* III, 442 *arcana senior sese aula.* VI, 108 *caput antro.* XI, 635 *penetralibus ensem.*

efflare verbo intransitive posito ablativus adiungitur: St. Th. X, 109 *efflat anhelo ore vapor.* Transitiva vi verbum præditum est: Silv. II, 1, 150. Th. III, 227. V, 209. VII, 327. VIII, 324. X, 444. Apud Val. et Mart. non reperitur.

effluere St. Th. IV, 555 *effluit amborum geminus de vertice serpens* editores ante Muellerum, qui veram lectionem, quam exhibet P (et Rehdig.), restituit: *insequitur geminusque bibit de vertice serpens.*

effodere Val. VII, 365 *scopulis aristas.*

effugere 1) verbi præpositio iterata est: Val. IV, 662 *multifidus ruptis e nubibus horror.* 2) Cum ablativo iunctum in codicibus verbum legitur: Val. II, 237 *pars ignibus atris effugiunt.* Pro *atris* omnium librorum lectione editores *acti.* Sed *atris* cur offendantur, non intelligo. Cfr Schuetz ad Horat. Od. II, 3, 16 et Forbiger ad Verg. Aen. XI, 186. Ladewig ad Verg. VIII, 198 *atros ignes* germanice reddit "qualmiges Feuer". St. Th. X, 96 *profundis vallibus effugiens amnis.* 3) Alibi semper sequitur accusativus: a) = egredi, relinquere: St. Th. IV, 430 *limina patrui effugit Latonia.* VII, 513 *fas omne penates effugiet.* b) = se subtrahere, vitare: Val. I, 42. I, 749. Cfr Baehrens, Præf. p. 24, et Ph. Wagner, Philol. 20 (1863) p. 620. II, 616. St. Silv. II, 1, 222. Th. IV, 577. V, 567. VI, 602. X, 332. Mart. XI, 98, 1. XII, 82, 1.

effundere St. Th. III, 115 *moenibus effusi.* XII, 471 *omnis Actaeis effusa penatibus aetas.*

egerere verbum sequitur 1) præpositio *ab:* St. Th. IV, 818 *aquis egestus ab imis alveus.* P habet *egressus*, et pro *imis*, quod exstat in P, editores Muellero excepto *imo* ex plerisque codicibus scripserunt. 2) ablativus sine præpositione: St. Th. V, 383 *aequora fundo.*

egredi 1) proprio sensu a) cum ablativo: St. Silv. III, 2, 60 *egrediar nisi iam cedente carina*, ubi verbum fortasse absolute usurpatur, ut *cedente carina* pro ablativo absoluto accipiendum sit. Vocabulum illud *cedente* in libris omissum est. Baehrens scripsit *currente*, quod reiicit Grasberger Jahrb. f. class. Philol. 115 (1877) p. 420. V, 1, 255 *sacris antris*. Ach. II, 147 *thalamo* librorum lectionem restituit Kohlmann; ceteri editores *thalamis*. Th. I, 534 idem vocabulum. VII, 478 *Iocasta portis*. De ablativo illo *portis* similibusque cfr L. Kuehnast, die Hauptpunkte der Livian. Syntax. Berlin 1872 p. 184. Eandem cum ablativo structuram etiam substantivum verbale *egressus* accepit: Th. XII, 351 *nacta petitos moenibus egressus*. b) cum accusativo = transgredi, relinquere: St. Silv. I, 2, 141 *thalami superbum limen*. Th. VI, 135 *infaustos penates*. VII, 17 *muros limenque*. 2) translato semper sequitur accusativus: a) = evadere, effugere: Val. II, 277 *medios egressa metus*. V prave *mechos aegrasa*. b) = transgredi, superare: St. Silv. I, 3, 110 *finem Nestoreae senectae*. V, 3, 154 *actusque egressa viriles* coniectura Marklandi a Queckio recepta est. Vid. s. v. *ingredi*. Th. VI, 33 *planctus egressa viriles*. X, 834 *virtus modum*. XI, 35 *tener hic conatibus annos egreditur*.

exhaurire verbo appositus est ablativus inopiæ, qui dicitur: St. Silv. III, 3, 156 *rebus exhausta senectus*. III, 5, 73 *hiems exhausit civibus urbes*.

exhorrere St. Th. IV, 698 *viridisque comis exhorruit humor*. Librorum scripturæ anteponenda est coniectura Schraderi *exaruit* (Cfr Madvig, advers. crit. p. 156, et Koestlin, Philol. 35 (1876) p. 496), quam in textum recipi vult Muellerus (Elect. Stat. p. 14). Val. II, 202 *toris exhorruit omnis mater*. "lectis, horrore percussa, exsilit" interpretatur Lemaire, fortasse Verg. Aen. V, 215 *exterrita tecto* respiciens. Neque tamen ad explicationem tam ancipitem confugere debemus. Multo enim simplicius rem intellexit Wunderlich, quum vertit: "der Mütter jed' auf dem Lager bebt".

exigere 1) proprio sensu usurpatum sequitur ablativus: Val. II, 475 *caelo sereno temperies.* 2) *ab* præpositio = postulare: Mart. III, 46, 1 *exigis a nobis operam.*

eiicere verbum iungitur 1) cum præpositione a) *ab:* St. Th. III, 526 *hos Strymonia Boreas eiecit ab Arcto.* b) *de:* Mart. XIV, 166, 1 *de Pompeiano eiecta theatro.* 2) cum nudo ablativo: Val. VI, 727 *patriis sedibus.* St. Th. IX, 468 *fundo saxa.* XI, 388 *fractis Eteoclea portis.* Translate: Th. IV, 617 *eiectus die* i. e. luce solis propter caecitatem orbatus. Subiungo frequentativum

eiectare St. Silv. III, 3, 89 *quicquid ab auriferis eiectat Hiberia fossis.*

eximere verbum regit 1) ablativum: St. Silv. IV, 5, 15 *exemptus testa Lyaeus.* V, 3, 207 *exemptum terris montem*, ubi de dativo quoque cogitari potest. 2) dativum = eripere, adimere: Val. II, 256 *nos sceleri.* St. Silv. II, 2, 126 *exemptus fatis.* II, 6, 87 *Phariae volucri cinnama.* Th. II, 698 *manibus mediis.*

exire verbum sequitur 1) = egredi, elabi a) præpositio α) *ab:* St. Th. XI, 353 *a nostris amplexibus.* Mart. I, 48, 3 *velocior exit ab hoste.* XII, 11, 3 *Pimpleo lyra ab antro.* β) *de:* St. Th. IV, 389 *Hermi de fontibus aureus exis* (Nisaee pater). γ) *ex:* St. Th. XI, 229 *mediis e coetibus* (taurus). b) ablativus: Val. IV, 54 *vallibus* (Hercules). St. Ach. I, 246 *iugo delphines.* I, 288 *patriis muris.* II, 128 *stratis.* II, 131 *coetu.* Th. VI, 192 *maesto campo.* De rebus inanimis: St. Silv. IV, 4, 102 *amorem corde.* IV, 119 *Persea amnis humo.* VI, 701 *manu sagitta* VIII, 386 *mente lucis amor.* Mart. XII, 26, 9 *rupta pes vagus aluta.* c) accusativus: St. Th. II, 139 *alienum aethera tardo Lucifer equo.* d) dativus personæ: Mart. X, 70, 1 *mihi vix unus toto liber exeat anno.* XI, 31, 11 *varium coco minutal.* Alibi semper sequitur accusativus: 2) = præterire, transgredi: Val. IV, 698 *litora longinquique flumina Rhebae.* (Eodem fere sensu intransitive positum est sequente præpositione *supra:* VI, 687 *supra caput exit harundo.*) St. Th. II, 731 *obiectas Achelous Echinadas exit.* Translate: Silv. IV, 2, 58

patriae senectae fines. 3) = evadere, vitare: St. Ach. I, 265 *minas nubemque malignam.* Th. IV, 601 *casus.* VI, 802 *venientem* (eludit et) *exit.* XI, 139 *tot iniqua.*

elabi sequitur dativus: St. Th. VI, 887 *vinclis onerique.* Apud Mart. casus non dignoscitur: XIV, 123, 1 *digitis elabitur anulus.* Depravata est codicis T scriptura *flavetur.* Translate: X, 2, 2 *elapsum manibus opus.*

elicere verbi præpositionem geminavit St.: Th. X, 171 *Phryga cruentum ex adytis.* Alibi semper nudum ablativum posuit: Ach. I, 221 *fretis delphinos.* Th. III, 623 *elicior tenebris.* III, 659 *tua verba polo causas abstrusaque semina rerum eliciunt.* IV, 414 *mortis limine manes* ex codice Cantabr. in textum intulit Muellerus. Ceteri libri exhibent *limite.*

eligere verbi præpositio iterata est: Val. IV, 242 *e sociis.* Solum ablativum adhibuit St.: Th. IX, 587 (quercum) *electam turba nemorum.*

emanere St. Th. VII, 650 (lucos,) *vetitus quibus emansisse sacerdos.*

emergere verbum iungitur 1) cum ablativo a) proprio sensu: St. Silv. I, 5, 17 *altis fontibus.* II, 2, 119 *pelago delphines.* Per imprudentiam, opinor, simplex verbum scripsit Queck. Th. IX, 275 *vadis.* b) translato: Val. V, 1 *altera lux Olympo.* Mart. XII, 32, 6 *Furias nocte Ditis.* 2) cum *ab* præpositione: St. Th. IX, 349 *sonus moribundo ab ore.* XI, 14 *pectore ab alto volucres.*

emicare 1) *ab* præpositio: St. Th. I, 381 *ab Inachiis tectis Larisaeus apex.* 2) ablativus: Val. III, 429 *ardenti nitidum iubar emicat alto* elegantissime emendavit Sandstroem (Emend. p. 30). Libri *evocat.* III, 582 *Calabris taurus saeptis.* Mart. XI, 100, 4 *serra lumbo, cuspis emicet culo* emendatione Heinsii recepta Schneidewin in editione Lipsiensi scripsit; in Grimensi lectio librorum retinetur *eminet*, quamquam in præcedentibus enuntiatis coniunctivus legitur. 3) *inter* = eminere: Val. VI, 596.

emigrare St. Th. II, 22 *arcano sepulchro.*

eminere verbum sequitur 1) ablativus: Val. III, 338 *medio*

rex aggere. St. Ach. I, 58 *placidis arduus undis.* Mart. XI, 100, 4 vid. s. v. *emicare.* 2) = præstare, excellere præpositio a) *ante:* St. Th. VII, 690. b) *inter:* Val. VIII, 227. c) *super:* Val. I, 317 vid. s. v. *supereminere.* d) *supra:* St. Th. X, 871. e) *ultra:* St. Silv. I, 2, 115.

emittere 1) *ab:* St. Silv. II, 1, 227 *emissus ab atro limine.* 2) ablativus: Val. II, 550 *emissa tenebris turba Phrygum.* Baehrens nulla cogente necessitate Heinsii coniecturam *emersa* in textum inseruit; quo iure apparet ex III, 44 *vox mediis emissa tenebris* et St. Th. VIII, 376 *Stygiis emissa tenebris Mors.* Silv. IV, 6, 53 *Oetaeis favillis* (Hercules). V, 3, 19 *membris.* Ach. II, 18 *puppe rudentes.* Th. I, 157 *Sol Eoo cardine.* Mart. Sp. 21 b, 1 *Orphea tellus hiatu.*

exonerare sensu translato: Mart. IX, 86, 10 *invidia deos.*

exoriri St. Th. III, 124 *ore miserrimus uno fragor.* Participium *exortus* = oriundus invenitur: Val. IV, 602 *magno Gradivo gens.*

expellere verbo adiungitur 1) *ab:* Val. VI, 79 *ab Hyrcanis antris viros.* 2) ablativus: Val. II, 164 *cunctas Lemno.* St. Silv. IV, 6, 14 *oculis somnum.*

expulsare Mart. XIV, 46, 1 *me* (pilam) *mobilibus expulsare sinistris.* T *nob.*, quod in editione Grimensi servatum est. *sinistris* fortasse ablativus instrumentalis rectius intelligitur.

erepere St. Th. VII, 451 *Sol montibus.* XI, 581 (genitor) *profundis tenebris.*

erigere verbum assumit 1) *ab:* Val. I, 658 *quam* (ratem) *gurgite ab imo.* VIII, 367 *fundo ab imo erigitur* (naufragus). 2) ablativum: Val. VII, 145 *erigitur toro.* Eadem verba occurrunt: St. Th. II, 126. V, 248 *artus stratis.* IV, 97 *anguis humo erigitur.* IV, 583 *erectus solo.*

eripere 1) = abstrahere: St. Th. IV, 166 *erepta iuvencis terga,* ubi utrum tertius an sextus casus sit, in dubium vocari potest. Contra dativum agnoscimus: VIII, 452 *spolia caesis.* X, 421 *laeva viro manus.* 2) = liberare, servare. Perspicua dativi forma invenitur: Val. I, 10 *eripe me populis et habenti nubila terrae.* I, 287 *saevae erepta* (soror)

novercae. IV, 79 *dirae Titana volucri.* Ac ne his quidem locis, ubi eadem notio verbo subest, de casu dubitari debet: Val. II, 490 *Pergama monstris.* IV, 539 *me curis.* Cfr VII, 241. Mart. I, 48, 1 *rictibus his tauros.* I, 107, 6 *nomen flammis.* 3) = subtrahere, adimere. Semper sequitur dativus: St. Ach. I, 425 *ereptum superis* (Mars efferat) *aurum.* Th. III, 69 *mihi iussa deum eripuere necem.* VI, 24 *ereptas oculis terras.* Mart. X, 35, 21 *erepto sibi Caleno.*

eruere Val. VII, 329 *quae ponto, quae manibus eruit imis.* Mart. VIII, 28, 14 *Erythraeis eruta gemma vadis.* Dativus personae est: Mart. III, 92, 2 *huic ego oculos duos.*

erumpere verbum, ubi locus respicitur, unde quis erumpit, sequitur 1) ablativus: St. Ach. I, 122 *silvis.* Th. V, 100 *tectis.* V, 426 *arcana porta caelicolas.* VIII, 190 *alta terra.* IX, 355 *aquis.* XII, 356 *muris.* 2) accusativus: Val. V, 465 *nebulamque erumpit Iason*, ubi manifesta est Vergilii imitatio: Aen. I, 580 *erumpere nubem.* Transitiva vis verbo subiecta est etiam: St. Th. VII, 683 *eruptusque sinus vicit cruor*, ubi idem valet quod *profundere.* Queck *eruptus* edidit. Alii '*eruptos*, ad *sinus* relatum, minus apte, ut mihi quidem videtur. Cfr II, 626 *natat prorupto in sanguine lingua.*

exserere verbum sequitur 1) *de* praepositio: St. Silv. V, 3, 104 *exere semirutos subito de pulvere vultus, Parthenope.* Cuius loci quum obscura sint et verba et sententia, satis habeo coniecturam Heinsii laudasse: *Vesuvino pulvere.* De ceteris cfr adnotationes Gronovii (Diatr. I p. 633), Lemairii, Baehrensii. 2) ablativus: St. Th. IX, 330 *se aequore Triton exerit.*

exsilire 1) praepositio a) *de:* St. Th. IX, 353 *vitrea de valle.* Mart. Sp. 12, 3 *partus de vulnere matris.* b) *ex:* St. Th. VI, 599 *e plebe Cydonum Parthorumque fuga exiluisse sagittas.* 2) solus ablativus: Val. III, 58 *altis toris Cyzicus.* V *ab altis*, sed præpositionem editores metri ratione coacti eiecerunt. III, 83 *Martius astris currus.* St. Silv. III, 1, 145 *Nereides antris.* Th. I, 93 *ripis.* VI, 405 *loco.* VI, 422 *gelida exilit Arcto grando.*

"a partibus mundi septentrionalibus" explicat Barth. IX, 601 *maesto cubili*. Translatione paullo audaciore usus est St.: Th. VIII, 492 *inopino limite vita exiluit* (puer).

exsolvere sensu translato usurpatum sequitur nudus ablativus: Val. II, 219 *hac nostras exolvat imagine noctes*. Pro *noctes* Baehrens *chartas*. Sandstroem (Emend. p. 28) *metas* scriptum fuisse opinatur, quod intellectum vult "ad destinatum operis finem progressionem". Nihil vero mutandum puto, et recte lectionem librorum defendens animadvertit Koestlin (Philol. 38 (1879) p. 53): "Die dichter schaffen in der stille und weihe des abends und der nacht". Cfr St. Th. XII, 811 *O mihi bissenos multum vigilata per annos Thebai!* Mart. VI, 47, 5 *votis se Marcus*.

exstare 1) præpositio verbi geminata est: St. Th. VII, 769 *e mediis ossibus hastas*. X, 461 *e margine nidi* (volucrum turba). Sequitur 2) ablativus sine præpositione: Val. I, 657 *placidis ratis extat aquis*. St. Th. V, 252 *reclusis pectoribus capulos*. V, 371 *extantem rostris Tritona*. Comparativus participii legitur: IX, 455 *amnis utroque extantior ibat aggere*. Absolute dicitur: St. Silv. II, 1, 107 *in pratis alte flos improbus*. 3) accusativus = eminere, proceriorem esse: St. Silv. I, 2, 116 *Nereidas exto*.

exstirpare verbo apposita est *de* præpositio. Mart. VI, 56, 3 *pilos de corpore*.

exsudare St. Th. VI, 208 *pictis exudat vestibus aurum*.

exsulare verbum ab *exsul* adiectivo derivatum sequitur 1) nudus ablativus: Val. VI, 462 *Argolicis oris*. b) *ab*: Mart. Sp. 4 b, 1 *exulat Ausonia profugus delator ab urbe*, ubi præpositio ad adiectivum quoque referenda est.

extrahere verbum sequitur dativus personae: St. Th. IX, 541 *capulum tenenti*.

exuberare = abunde emanare: Val. III, 234 *iussa sanguis exuberet ulna*. V *iusta urna*. Lectio ab editoribus recepta Hugoni Grotio debetur. Rem ipsam explicat Lemaire: "ex præceptis Corybantum sanguis large ex bracchiis fundatur".

exundare Val. IV, 595 *Acheron vasto hiatu*. Ablativus

copiæ, qui vocatur, deprehenditur: St. Th. X, 535 *saevo fastigia nimbo.*

evadere verbum sequitur 1) ablativus (dativus? Cfr Ulrich l. c. p. 13), ubi mera loci significatio servatur, unde motus proficiscitur: Val. VII, 163 *patriis tectis.* VII, 570 *claustris evasit uterque taurus.* 2) accusativus, ubi in eundem fere sensum abiit, quo dicitur evitare, effugere: Val. VI, 246 *infestum Phalcen.* VII, 299 *diras voces.* VII, 504 *tauros ferosque terrigenas.* St. Ach. II, 231 *nostras evadere flammas.* Duobus extremis litteris deletis P habet *repellere vir..*, unde Kohlmannus in textu posuit *r. vires.* Th. VI, 890 *nodos.* XI, 704 *fortunam.* Alia significatio verbo subiecta est, idemque valet atque praeterire: Th. VI, 447 *aequoreus sonipes premit evaditque gavisos.*

evocare Val. III, 429 vid. s. v. *emicare.*

evolare St. Th. V, 92 *thalamis relictis evolat.*

evolvere verbum 1) proprio sensu usurpatum sequitur *ex:* St. Ach. I, 243 *ex aequore Titan rorantes equos.* 2) translato ablativus: Val. IV, 117 *pectore questus.*

CAP. IV.

Verborum deinceps, quæ accusativum regunt, duo genera reperiuntur: unum eorum, quorum transitiva, alterum eorum, quorum intransitiva simplicia sunt. Ac de prioris quidem generis verbis non est, cur hoc loco diu agamus, quoniam a simplicibus, quod ad accusativum attinet, nihil differunt. Neque enim apud nostros ulla verba reperiuntur, quæ praeter accusativum eum, qui simplex verbum sequitur, alterum assumant.[1] Nam *praetervehi*, *transvehi* verba, quibus

[1] De eiusmodi verbis cfr Kuehner l. c. II § 73, 5. Haase l. c. II p. 85.

accusativus subiicitur, in deponentia abiisse existimandum est; et St. Silv. III, 5, 82 *has ego te sedes transferre laboro* nullo modo idem valet quod "te trans has sedes ferre",[1] sed præpositione poetarum more omissa dictum est pro "*in* has sedes" cet. Atque *transadigere* verbum a Vergilio inventum, cui duo accusativi adduntur: Aen. XII, 508 *transadigit costas ensem*, apud nostros semel occurrit: St. Th. V, 127 *hos transadigam ferro*, et eadem quidem significatione, qua altero loco Vergilii usurpatum est: Aen. XII, 276 *hasta transadigit costas*. Adiungitur autem his verbis (praeter accusativum simplicis) aut præpositio — velut *transferre* St. Silv. III, 2, 8 — aut ablativus viæ, quem vocant — velut *transmittere* Ach. I, 362. Th. IX, 747 et *transvehere* Silv. II, 1, 177. Neque enim huc referendus est aut is accusativus, qui — ut St. Th. IX, 309 *traiectus pectora ferro* — verbis passivis apponitur ad corporis (vel animi) partem significandam, ad quam verbi actio maxime pertinet, aut is, qui sequitur verba *exuere*, *induere*, *inmittere*, *succingere*, alia, quorum passivis formis, et præcipue participio, subiicitur accusativus eius vocabuli, quod ipsum designat vestimentum. Nam et eiusmodi accusativi verbis simplicibus quoque adiunguntur, neque inter illa verba ullum reperitur, quod activa forma positum duos adsciscat.[2] Nec vero illud prætereundum arbitror a poetis multa verba cum accusativo coniungi, quæ a pedestris orationis scriptoribus aut numquam aut raro transitive ponantur. Quæ si præpositionibus subiunguntur, accusativum suum retinent, neque transitiva vis verbi e compositione demum profecta est. Neque tamen eiusmodi composita, quamquam hic suum locum non habent, omittenda videntur, quum poetici sermonis propria sint. Et hæc fere dignissima putavi, quæ afferrentur:

adflare vid. infra. **efflare** vid. p. 33.

adlatrare Mart. II, 61, 6 *adlatras nomen*. V, 60, 1 *nos*. Simplex verbum *latrare:* St. Silv. II, 1, 184 *illum latrabit Cerberus*. Ach. I, 451. Th. II, 338. Mart. IV, 53, 6.

---

[1] Cfr Catul. 61, 162 *transfer limen aureolos pedes.*
[2] Cfr Haase l. c. II p. 92.

adsibilare, adsuescere vid. infra.

conclamare 1) = salutare: St. Th. X, 685. 2) = deplorare: St. Silv. II, 6, 5. 3) = clamore implere: Mart. IX, 45, 5 *conclamata querelis saxa.* Eadem est verbi simplicis significatio: St. Th. V, 462 *non speratis Lemnos clamatur alumnis.*

concrepare Mart. XI, 16, 4 *mea pagina Tartessiaca concrepat aera manu.* Cfr V, 19, 14 *crepare aureolos.*

congemere Val. V, 12 *positumque feretro congemuere.* Eadem verbi structura deprehenditur: Lucret. III, 934. St. verbum intransitivorum more semper usus est; apud Mart. non exstat. De *adgemere*, *ingemere* vid. infra.

decertare verbi participio *decertatus* bis usus est St.: Th. I, 2 *regna profanis decertata odiis.* "perdita atque amissa concertando" explicat Barth, quem secutus Bindewald vertit: "durch ruchlosen Eifer gestürzte Wechselregierung". Klotz (lex. s. v.) interpretatur: "mit Kampf erfüllen; im Kampfe durchmachen". Equidem *decertatus* valere puto "de quo certatum est", quam significationem participio verbi simplicis subesse evidenter apparet ex Sil. XVII, 338 *certatus nobis hodie dominum accipit orbis*, ubi Klotz (lex. s. v.) explicat: "de quo certavimus". Eandemque vim participio attribuo: Th. I, 479 *ventis decertata aequora.* Cfr tamen Th. VII, 86 s. v. *debellare.* Intransitive positum est: Th. IV, 822.

degrassari St. Ach. I, 406 *tanta iniuria primos degrassata duces.* Simplex verbum cum nudo accusativo iunctum invenitur: Th. VIII, 571 *grassatus cuspide turmas*, ubi Queck praeeunte Heinsio *in* præpositionem inseruit.

detonare verbi transitive adhibiti nullum exemplum afferunt lexicographi. Exstat tamen: St. Silv. II, 7, 66 *Philippos et Pharsalica bella detonabis.* "alta voce celebrabis" Barth. Cfr verbum simplex: Mart. VIII, 3, 14 *aspera vel paribus bella tonare modis.* Intransitive *detonare* positum est: Val. IV, 294. *intonare* vid. infra.

exspirare St. Silv. V, 2, 70 *silva fructum.* Simplex: Val.

IV, 436 *tenuem spirans animam.* De *adspirare* et *inspirare* vid. infra.

suspirare St. Th. IV, 20 *suspiranda domus* i. e. suspiriorum causa futura. VI, 17.

insonare St. Silv. II, 7, 114 *te nobile carmen insonantem.* Cfr IV, 2, 66 *modo Germanas acies modo Daca sonantem proelia.* Val. verbo composito intransitive usurpato ablativum adiecit ad locum indicandum, ubi sonitus fit: II, 91 *Lemni litore insonuit* (Mulciber). III, 79. VI, 366.

personare St. Silv. II, 7, 88 *hymenaeon festis cantibus per sonabo.* Iterata præpositione obiecti loco sequitur *ut:* Val. II, 164 (Fama) *totam per urbem personat, ut.*

In reliquis vero, si qua sunt, quorum simplicia et transitive et intransitive usurpentur, transitivam verbi potestatem compositione natam esse existimandum est. Sic quum "adfari aliquem" dicimus, idem dicimus quod est "fari ad aliquem", neque continetur accusativus ille verbo simplici, in quo transitiva vis inest, quum "fari aliquid" dicimus. Et in eadem causa sunt *adloqui*, *adludere*, *adsistere*, *insistere*, *praevertere*, *transscendere*, alia. Cetera omnia, quæ afferam, verba, ex intransitivis simplicibus originem trahunt. [1] Significant autem hæc verba maximam partem aut motum aut statum ex antecedente motu profectum. Quare quoniam verbis movendi tum compositis tum simplicibus a poetis accusativus subiicitur, ut quo quis tendat significetur, utrum transitiva necne haberi debeant hæc verba, forsitan dubitaveris. [2] Recte tamen inter transitiva eorum pleraque referri ex eo apparet, quod passiva forma personaliter dicuntur. Præpositiones vero omnes — excepta una *post* —, quæ omnino

[1] His ab altera parte ea respondent, quæ, quum simplicia transitiva vi prædita sint, intransitiva compositione fiunt (velut *adpellere, advertere, contingere, deficere, offendere* (de verbo simplici cfr A. Vanicek, Etymol. Wörterbuch d. lat. Sprache. Leipz. 1881 p. 183), *sufficere*). Sed ex his nonnulla nova rursus, ut ita dicam, transitiva vi subiecta accusativum assumunt (velut *erumpere*, de quo vid. p. 38, *inrumpere, transmittere).* De *adpellere* et *transmittere* verbis conferre licet Draeger l. c. I § 180.

[2] Cfr Draeger l. c. I § 176, 3.

apud nostros compositioni inserviunt, verbis accusativum poscentibus inhærere reperies. Ac præter accusativum aliam structuram numquam admittunt ea verba, quæ composita sunt cum præpositionibus *ante*, *circum*, *ob*, *per*, *præ*, *præter*, *pro*, *subter*, *super*, *trans*.[1] Contra dativum quoque (et præpositionem) assumunt nonnulla, in quibus insunt (*ab*, *de*, *ex*,)[2] *ad*, *cum*, *in*, *inter*, *sub*. Sed quo melius agnoscatur, quid inter diversas structuras intersit, his verbis proprium locum insequenti capite assignabo. — Iam ad exempla ipsa afferenda accedo.

A) Verba cum præpositionibus accusativum regentibus composita:

adfari Val. V, 352 *nutricem*. VI, 16 *Minyas*. Cfr de hoc loco Thilo, prol. p. XXXV; Sandstroem, Emend. p. 36. St. Silv. I, 2, 161 *ipsum*. III, 3, 182 *cineres*. V, 2, 145 *turmas*. Ach. I, 251 *parentem*. I, 338 *litora*. I, 519 *aves*. II, 217 *Lycomeden*. Th. IV, 552 *parentem*. VII, 5 *alumnum*. IX, 211 *hunc*. XI, 154 *Adrastum*. Mart. Sp. 25 b, 3 *undas*. V, 3, 4 *comites*.

adflare 1) = flatu vel spiritu contingere: Val. III, 213 *Phaethon adflavit Tisiphonen*. St. Silv. V, 1, 147 *adflantur vineta noto*. Per similitudinem: St. Th. X, 328 *adflatus curru maiore Bootes*. X, 674 *fulminis radiis cupressus*. XII, 169 *iuvencas tigridis Hyrcanae ieiunum murmur*. 2) = flando afferre: St. Silv. V, 3, 105 *adflato monte*. De loco illo, ubi hæc verba leguntur, vid. s. v. *exserere*. Dativo addito significari solet, cui alqd afferatur (Cfr Lucret. V, 567 *membris vaporem*. Verg. Aen. I, 591 *oculis honores*.); sed mutata verbi notione ablativus sequitur eius rei, cuius velut spiritu quodam alqs alterum tangit: Val. VII, 489 *illum simili adflarat amore*. V errore librarii *adflebat*. St. Th. V, 194 *miseros igni* (Cytherea). Eodemque modo intelligo: Val. VI, 183 *virque virum galeis adflavit adactis*, cuius loci sensum in hunc modum exponit Lemaire: "ita

---

[1] *transabire* verbum præpositio semel sequitur. Vid. infra s. v.
[2] De his cfr supra p. 17.

implicantur, ut levi ventulo motis galearum cristis faciem sibi invicem tangerent."

adgredi verbum 1) proprio sensu usurpatum semel sequitur accusativus loci: St. Th. XII, 267 *tectum propinquae casae* (Argia). Ubi accusativum personæ sibi adiungit, idem valet quod a) alloquendi causa adire, alloqui: Val, VI, 459 *hanc placidis Saturnia dictis.* VI, 587 *his germanam.* St. Ach. I, 349 *regem* (atque ait). b) invadere, adoriri: St. Th. VIII, 487 *hunc.* Eadem significatione 2) translate de re: St. Silv. I, 4, 62 *adgredienda facultas.* = ad alqd accedere, admittere: Val. V, 658 *scelus.* St. Silv. I, 5, 29 *vestrum opus.* Th. XI, 157 *sera consulta.* Infinitivus sequitur: St. Th. I, 521. IX, 240.

adire cum accusativo 1) rei: Val. II, 98 *has epulas, haec templa.* II, 236 vid. s. v. *adstare.* III, 307 *litora.* V, 502 *Phrygios reges aut arva Bebryciae.* V, 481 *monstra maris.* VIII, 283 *thalamos.* St. Silv. II, 6, 47 *Elin.* Ach. II, 72 *totos penates.* Th. I, 257 *urbem.* VII, 95 *Arcadas aras.* VIII, 200 *Clarias fores Didymaeaque limina nec Lyciam.* IX, 66 *tecta.* Mart. I, 78, 4 *Stygios lacus.* Eadem verba redeunt V, 25, 6. I, 93, 2 *Elysias domos.* IX, 65, 9 *astra.* Passiva forma legitur: Mart. I, 70, 12 *clari penates atriaque adeunda.* VII, 93, 2 *Narnia ancipiti adeunda iugo.* IX, 45, 4 *Promethei rupes et fabula montis adeunda.* Per similitudinem de sono in locum alqm penetrante: Val. VI, 166 *aethera lituum concentus adit.* V *conceptus.* St. Th. I, 591 *nuntius aures matris adit.* II, 40 *plausus adit colles.* Versus quattuor, in quibus hæc verba leguntur, quum in optimis libris non exstent, Mueller in marginem inferiorem reiecit. 2) personæ: St. Th. II, 251 *innuptam lumine adibant Pallada* i. e. templum Palladis. P reliquique pæne omnes *limine*, unde in uno codice invenitur *innuptae limina adibant Pallados* glossarii cuiusdam additamentum, quod versus non recipit. III, 351 *Sauromatas servatoremque cruentum.* X, 205 *me Amphiaraus adit.* Gerundivi forma posita est: XI, 744 *non adeunda senectus.* Aggrediendi notio verbo subiecta est: Val. VII, 630 *omnes adiere*

virum, ut scholiastam secutus Schenkl scripsit. V exhibet *videre*, codex Carr. *odere*, quod a Thilone receptum est. Baehrens in textu posuit *subiere*. Translate de re: Val. I, 320 *indignos labores*.

adloqui St. Ach. II, 100 *rex Achivos*. Th. VII, 509 *fratrem*. XI, 713 *fata deosque*. Val. verbo nusquam casum subiecit; apud Mart. non reperitur.

adnuere vid. infra.

adoriri verbi propria est notio "ad vel iuxta aliquem surgere." 1) = alloquendi causa ad alqm accedere: Val. IV, 360 *Ita adorta Iovem* (Iuno). 2) = invadere, aggredi: Val. I, 694 *regis progeniem*. St. Ach. II, 103 *Dolopes Scyria litora adortos*. Silv. I, 4, 63 *teneamus adorti tardantes iam fila colos*, ubi accusativus *colos* cum *teneamus* arctius coniungi videtur. Verba allata Baehrens partim ex codicibus restituit, partim coniectura invenit. Vid. quæ in hunc locum adnotavit. Translate = rem aggredi, temptare: Val. II, 375 *tantum maris aequor*. IV, 541 eadem fere verba. St. Th. III, 540 *vestigia maiorum volucrum*. Sequitur infinitivus: St. Th. I, 75.

advehi Val. III, 485 *proxima Tiphys litora* (quosque dabat Mysia) *montes advehitur*.

anteire 1) proprio sensu: a) St. Th. VII, 109 *Pavorem quadrupedes anteire iubet*. b) = præterire: VII, 339 *anteibunt gesa sagittas*. 2) translato: a) = prævenire: Val. I, 31 *metus*. b) = præstare: St. Th. III, 156 *Ogygias parentes*. IV, 182 *canendo Aonidas*.

antevenire Val. VII, 33 *vultus vocesque parantem antevenit*. Pro *antevenit* Madvigii coniectura a Baehrensio recepta in omnibus libris est *aperit*, quod Thilo et Schenkl retinent. Sed iidem *parantem* librorum scripturam — V habet *parentem* supra prius *e* scripto *a* — in *paratas* mutaverunt, unde hæc procedit sententia: Aeetes vultus et verba iamdiu composita promit. Sed vere admonet Madvigius (advers. crit. p. 148) aptius ad totius loci tenorem significari Iasonem, quem modeste exspectantem allo-

qui occupat Aeetes. Codicum lectionem tuetur Koestlin, Philol. 39 (1880) p. 444.

antevolare St. Th. III, 427 *Fama ante volat currum.* De scribendi ratione vid. p. 11.

circumfluere Val. II, 646 *me tumido circumfluat ore Propontis.* Mart. XIII, 40, 1 *croceos unda vitellos.*

circumire 1) de hominibus aliisve animantibus: St. Silv. III, 5, 59 *vernos Philomela penates.* IV, 8, 11 (avi,) *quem turba nepotum circuit.* Ach. I, 378. Th. II, 603 *se ipse.* VI, 779 *ille furentem.* VI, 887 *errantem.* V, 576 *ille* (serpens) *volumine telum circuit.* VIII, 132 *infidi miles vestigia campi.* Translate de tonsore: Mart. VII, 83, 1 *tonsor circuit ora Luperci.* = decipere fraudare: VIII, 59, 14 *puerum arte dolosa.* b) de rebus inanimis: St. Ach. I, 408 (exciti,) *quos Isthmia vallo claustra — quos circuit umbo Maleae.* Th. VIII, 312 *te* (tellurem) *currus uterque circuit* (solis et lunæ). De fluminibus: St. Ach. I, 102 *dulci vestigia circuit unda* (Spercheos). Th. IX, 505 *humeros — colla ducis sinuosa vorago circuit.* Mart. VII, 93, 2 *Narnia, quam gurgite candidus amnis circuit.* Per similitudinem: St. Th. X, 115 *tenuis, qui circuit aulam, nitor.* De sonitu: Silv. IV, 4, 26 *sonus geminas mihi circuit aures.* Cfr Th. III, 650 *tyrrhenus tempora circum clangor eat.*

circumstare St. Silv. IV, 8, 43 *hilaris circumstat turba tuorum* (defensatque) *patrem*, ubi utrum ad *circumstat* quoque referri debeat accusativus, an absolute positum sit verbum (ut V, 1, 235 et Th. VI, 402), haud diiudicaverim.

circumtonare St. Th. VII, 16 *omne, quod raucae circumtonat ira Maleae.*

circumvenire Val. I, 400 *parvum ardenti tergo circumvenit anguis.* III, 118 *chlamys circumvenit manum.* St. Th. V, 166 *cerva circumventa lupis.*

circumvolare St. Th. V, 163 *matrem recens umbra.* XII, 56 *vetitum circumvolat ignem* (Graium nuda cohors). I, 51 *illum* (Oedipoden) *adsiduis circumvolat alis saeva dies animi.* Vid. quæ Barth in hunc locum adnotavit.

circumvolitare St. Silv. III, 3, 131 *illa sagittiferi circumvolitatis amores funera.*

incedere verbum translato sensu usurpatum coniectura Heinsii introductum est: Val. V, 550 *incessit mentem pavor.* V *incussit*, quod a Thilone retinetur.

increpare 1) proprio sensu = percutere, ferire: St. Th. III, 431. 2) translato = altius loqui, quasi crepare in alqm: a) accusativus rei: Val. III, 613 *cunctantes increpat ausus.* Baehrens *ausus* participium intelligens *orsis* scripsit. Cfr Gebbing l. c. p. 27. Thilo, Prol. p. XIV. b) personæ: Val. IV, 3. VI, 281. VI, 433. VII, 127. St. Silv. III, 2, 51. Th. III, 32. IX, 835. X, 462. X, 873. X, 895. Eadem est verbi frequentativi

increpitare significatio: 1) St. Th. X, 132. 2) a) St. Th. XII, 370. b) Val. III, 230. V, 267. St. Ach. I, 493. Th. VI, 463. VI, 524. XI, 669.

incursare St. Th. V, 348 *Thracia bella vario incursare tecta tumultu.*

inire 1) proprio sensu: St. Silv. I, 2, 225 et Th. III, 686 *fores.* II, 66 *notos penates.* VI, 616 *limina.* VI, 470 et XI, 593 *campum.* VII, 577 *urbem.* XII, 786 *tecta hostilia.* 2) translato sensu usurpatum varias accipit significationes, prout cum diversis nominibus iungitur: Val. III, 629 *vias*, IV, 760 *convivia.* St. Silv. I, 6, 48 et II, 4, 4 *dapes.* II, 1, 218 *quidquid init ortus.* In editione Queckii pro *init* est *habet;* sed *init*, quod metri ratione ductus Muellerus (Rhein. Mus. 18 (1863) p. 200) coniectura assecutus erat, in Sangallensi scriptum fuisse affirmat Baehrens. Ach. I, 281 *fremit captivus inire imperia* (equus). Th. I, 69 *conubium.* VI, 869 *proelia ursi.* VIII, 107 *argolicas acies ini* i. e. Argivorum proelia. X, 9 *arma.* XI, 123 *bella.* XII, 72 *te laudis inisset ardor.*

inrumpere 1) proprio sensu a) de hominibus aliisve animantibus: Val. II, 211 *domos* (Venus). Altero loco: I, 819 *inrumpunt foribus* coniectura Heinsii illatum est illud *foribus.* V habet *sonitus*, codex ψ *sonitu*, quod Schenkl in textu posuit. (Cfr infra Th. VI, 641). *fori-*

bus qui scribunt, ablativum viæ accipiant necesse est, nam *inrumpere* a nostris semper cum accusativo construitur. St. Th. III, 592 *Argos.* III, 634 *superum coetus.* VI, 40 *atria serpens.* VI, 641 *inrupit clamore fores.* VII, 336 *aquas.* IX, 343 *sacrum amnem deumque altrices aquas.* X, 359 *medias Thebas.* X, 810 *maestas umbras.* XI, 108 *Thebas adsuetumque larem.* XI, 216 *Tyrios penates.* XII, 269 *horrendos campos.* b) de rebus inanimis: St. Th. IV, 212 *Eriphylaeos aurum fatale penates.* VI, 23 *pontum* (biremes). 2) sensu translato: St. Th. X, 341 *dignare inrumpere mentem.* Translate verbum usurpatum est, etiam ubi eodem fere sensu ponitur quo "quasi per vim perscrutari": Ach. I, 508 *inrumpe deos* (et fata latentia vexa). Th. III, 549 *volantum concilia.*

invadere 1) proprio sensu: St. Th. IX, 495 *qua terras invaderet?* i. e. in terram evaderet. = aggredi: Val. II, 220 *invadunt aditus et quondam cara suorum corpora* omnium librorum lectionem a Thilone servatam explicat Koestlin (Philol. 38 (1879) p. 54): "Die Lemnierinnen besetzen die thüren und zugänge und tödten einige der männer". Toti loco, ubi hæc verba leguntur, Baehrens satis violentam medicinam adhibuit; recte tamen eum fecisse puto, quod *artus* Meynckii coniecturam in textu posuit, qua recepta optima efficitur sententia. Nam Valerium abundantia poetis familiari eandem rem duobus substantivis ad vim augendam sæpe expressisse multis exemplis docet Gebbing (l. c. p. 79). Atque etiam Koestlino (Philol. 39 (1880) p. 245) *artus* illud iam probatur. III, 146 *diversas turmas.* VIII, 371 *Minyas.* VII, 605 *terga recentis equi primumque invasit habenis murmur* (Lapithes). Varias coniecturas, quibus locus ille difficillimus attemptatus est, afferre supersedeo, quum præsertim nisi de verbis allatis non agamus. Sandstroem, qui totum locum pæne denuo finxit (Emend. p. 41), *murmura* in equo quemquam latinum dixisse negat. Quod num ita sit, diiudicare non possum; sed nihil impedire videtur, quominus ita dici potuerit, quum frequentissimus apud nostros sit huius vocabuli usus et de animan-

tibus et de rebus inanimis. Propterea libentius facio cum Ph. Wagnero, qui horum verborum sensum ita exponit (Jahrb. f. class. Philol. 89 (1864) p. 388): "invadere primum murmur bedeutet invadere habenis rictum equi ad primum murmur apertum". Neque enim hæc verba nimis a solito dicendi genere Valerii recedunt, quippe qui omnino brevitati servierit. Koestlin, et ipse in librorum verbis acquiescens (Philol. 39 (1880) p. 38), locum hoc modo elegantissime vertit: "nicht anders bewältigte Lapithes den rücken des aus dem erdspalt geborenen rosses und das erste wiehern mit dem zaume und erschien frohlockend auf dem gipfel des Ossa". St. Silv. V, 2, 32 *pharetratum Araxen.* Th. II, 487 *legatum insidiis tacitoque ferro.* III, 534 *globum nivei gregis.* Mart. XI, 28, 1 *invasit* (et percidit) *Hylan.* = invenire, nancisci: St. Ach. II, 292 (armis) *quae prima invaserat.* Mart. VIII, 59, 13 *nihil.* 2) sensu translato: Val. VII, 295 *horror molles invaserat annos.* St. Th. X, 677 *leti invasit amorem* (iuvenis). = ingredi, suscipere: St. Silv. V, 1, 245 *vias puppis.* Th. V, 202 *nefas.* Mart. IX, 56, 6 *proelia.*

invehi St. Th. XII, 597 *Tyrias arces.*

invenire Val. I, 239. II, 92. III, 148. IV, 135. IV, 724. VI, 422. VII, 106. St. Silv. I, 4, 106. II, 6, 100. IV, ep. 5. V, 1, 45. V, 5, 34. Th. I, 183. III, 127. III, 676. V, 109. V, 607. V, 679. VI, 116. VI, 134. VII, 491. VII, 623. VIII, 527. IX, 283. X, 652. XI, 138. XI, 512. XII, 339. XII, 699. Mart. Sp. 26, 7. Sp. 29, 7. I, 109, 15. V, 11, 4. VI, 53, 2. VIII, 31, 6. IX, 75, 7. X, 4, 10. X, 16, 5. XI, 17, 2. XI, 18, 8. XI, 23, 16. XIV, 25, 1.

interfurere verbum a Statio inventum (Grosse l. c. p. 28): Ach. I, 395 *alternum Mavors interfurit orbem.*

interiacere St. Ach. II, 36 *portus celsamque interiacet urbem* (campus). Cfr Val. II, 630 *Pontum iacet inter et Hellen* (terra).

intermicare Val. IV, 662 *tenebras nimbosque intermicat ignis.* Schenkl versum uncis inclusit (Cfr Stud. p. 20), sed suo iure retinendum censet Gebbing (l. c. p. 75).

obire verbum variis usurpatur significationibus: = contra ire: St. Th. II, 589 *hos obit.* = subire, occupare: Val. III, 179 *orbes purpureos somnus obit.* = perlustrare: Val. IV, 234 *illum Amycus ore renidenti lustrans obit.* Cfr Verg. Aen. X, 447 *lumina volvit obitque truci procul omnia visu.* = conficere, fungi, exsequi: St. Silv. IV, 3, 150 *annos placidos* (Nestor). Val. III, 710 *fida ministeria et duras obit horrida pugnas* (hasta). VII, 69 *messes, quas solus obibam.* St. Th. III, 305 *mentem patris.* VI, 674 *patriae laudis sacra.* Mart. I, 90, 3 *omne officium.* Absolute positum verbum idem valet quod mori: Val. VII, 486. Mart. XI, 82, 3.

oppugnare St. Th. X, 865 *amnis robora pontis.*

obsidere = (sedendo) occupo, teneo: Val. IV, 696 *obsessum scopulis aequor.* St. Silv. II, 6, 44 *obsessae* (primoque micantes flore) *genae.* Mart. II, 17, 3 *Argique letum multus obsidet sutor.* = claudere, circumdare: St. Th. II, 600 *toto obsessus Olympo.* VI, 255. VI, 901. IX, 940. = expugnandi causa circumsedere: Val. V, 396. VIII, 380. Intransitive verbum adhibitum est: Val. II, 238 *in limine coniunx obsidet.*

obsīdere St. Th. X, 270 *Argolicas portas.*

peragrare Val. VI, 301 *belli diversa peragrat.*

perambulare Mart. IX, 38, 7 *perambulat artus* (parma).

percurrere Val. VI, 63 (crinis) *triplici percurrens tempora nodo.* St. Th. IV, 697 *tenuior percurrere visus ora sinus* Madvigii emendationem (advers. crit. p. 156) recipi vult Mueller (Elect. Stat. p. 14.). In P est *tenuis — situs.* Koestlin (Philol. 35 (1876) p. 496) optimam ille quidem efficit sententiam, sed longius ab auctoritate librorum recessit, quum ita scribit: *tenuia ora perurere visus Solque sinus.* Mart. III, 82, 13 *percurrit agili corpus arte tractatrix.* = oculis perlustrare: Val. VI, 601 *viri percurrere pugnas.*

pererrare Val. III, 537 *saltusque tuos fontesque pererrat* (Hylas). St. Th. I, 313 *Oedipodionides deserta Aoniae.* V, 588 *pererratis campis.* XI, 140 *vallum.* Translate:

St. Ach. I, 306 *fax vibrata medullis* (lucem genarum tingit et) *inpulsam tenui sudore pererrat.*

perfurere St. Th. IV, 389 *Gangen aut claustra novissima rubrae Tethyos Eoasque domos perfuris.* Contra intransitive verbum positum est: IV, 732 *perfurit arvis pecus.* IV, 823 *in gurgite Martem perfurere.* Absolute: Val. VIII, 383 *mare perfurit.*

perlabi St. Th. VI, 1 *Danaas urbes Fama.* Translate: Silv. IV, 6, 4 *haec* (cena Vindicis) *imos animi perlapsa recessus.*

pervolitare Val. IV, 504 *pavidae Phineia tecta pervolitant.*

praeterire 1) proprio sensu: Val V, 74 *tristes Acherusidos oras et Callichoron.* V *Callirrhoan.* St. Th. I, 332 *plagam.* VIII, 588 *dubium fati.* XI, 719 *iacentes.* Mart. XI, 13, 2 *nobile marmor.* XII, 36, 13 *asellos.* 2) translato: St. Ach. II, 128 *si quem haec nova gloria segnem praeterit.* II, 417 *me Mavortis imago.* = vincere, superare: Silv. IV, 4, 45 *facundia praeterit annos.* Dicitur etiam eodem sensu quo omittere, negligere: St. Silv. V, 4, 10 *nostros questus.* Mart. I, 25, 4. VII, 86, 5. IX, 3, 10. XIII, 3, 8.

praetervehi St. Th. II, 382 *Nisum.* V, 473 *mea litora rectis praetervectus aquis.*

subtervolare St. Th. III, 670 *fragor vasto subter volat astra tumultu.* De scribendi ratione vid. p. 11.

supereminere 1) proprio sensu: Val. V, 367 *Talaum — Ampyciden — Tyndaridas supereminet ore.* 2) translato: I, 317 *vox Alcimedes planctus super eminet omnes.* De scribendi ratione vid. p. 11.

superfugere Val. III, 554 *ipse superfugit undas.* Contra divisum scribitur: I, 160 *super effugit alta profundi.*

superfulgere St. Silv. I, 1, 33 *templa superfulges.*

supergredi sensu translato: St. Silv. V, 3, 114 *ora supergressus Pylii senis oraque regis Dulichii.*

supernatare St. Silv. III, 2, 47 *supernatet undas* (Zephyrus).

superstare St. Th. II, 713 *corpora atque arma superstans.*

V, 209 *Helimum Gorge superstans.* X, 415 *lea natos erecta superstat.*

supervenire 1) proprio sensu: St. Th. IX, 464 *clipeum supervenit aestu* (amnis). 2) translato = vincere, superare: St. Ach. I, 148 *vis festina teneros supervenit annos.* Pro *teneros* libri *tenues.* Klotz (lex. s. v.) *supervenit* verbum interpretatur "überfällt". Equidem eandem hoc loco verbo subesse significationem puto, quæ est Silv. IV, 4, 45 *facundia praeterit annos.* Th. II, 298 *Argia viles sororis ornatus supervenit.* VII, 275 *nimia sata laeta supervenit herba* (Haliartos).

supervolare St. Th. X, 142 *supervolat orbem* (Somnus).

transabire verbum a Vergilio inventum sequitur 1) *praeter:* St. Th. VI, 510 *hunc praeter Thessalus axis et heros Lemnius transabiere fuga.* Alibi semper 2) cum accusativo construitur a) = præterire: Val. IV, 511 *populos atque aequora longe transabeunt* (Harpyiae). St. Th. VI, 713 *discus Menesthea victum transabiit.* b) = per alqd penetrare, transfigere: St. Th. II, 9 *transabiit costas ensis.* Pro *costas* P solus *animam.* IX, 126 *mediumque Politen transabiit* (trabs). Conferendum puto: VIII, 496 *hasta viri trans pectus abit.*

transcurrere St. Silv. I, 3, 67 *audaci transcurris flumina plumbo* (Marcia). I, 3, 107 *stagnantia rura* (Hermus). III, 4, 1 *pontum.*

transfugere St. Th. IX, 308 *Caphareos arcem Euboicasque hiemes.*

transgredi sensu translato St. Silv. I, 2, 90 *veteres transgressus amores.* Th. IV, 770 *mortales luctibus.* V, 746 *magnorum fata parentum.* VI, 94 *veterno avos.*

transire 1) = præterire, transgredi a) de motu locali: Val. III, 502 *finem Phasidis.* IV, 347 *illos fluctus.* St. Silv. III, 1, 106 (aras,) *quas puppes nolint transire.* III, 2, 67 *lentas paludes.* Th. VIII, 697 *obiectas acies turbamque minorem dissimulat transitque manu* i. e. non aggreditur. Contra X, 272 *rapidaque manu morientia transit agmina* "cito occidit" explicat Lemaire. IX, 325 *adulantem transit*

avum (Crenaeus). Mart. I, 70, 4 *vicinum Castora virgineamque domum.* b) sensu translato α) = negligere, non curare, in legendo praeterire: St. Silv. V, ep. 13 *lacrimas tuas.* Mart. I, 104, 12 *haec transit ut minora.* VI, 65, 6 *epigrammata longa.* XI, 106, 4 *hos* (versus). β) fallere, fugere: St. Th. II, 335 *nil transit amantes.* γ) = præstare: St. Silv. II, 7, 42 *longaevos vates.* 2) = per alqd penetrare: Val. I, 467 *transibit nubila Lynceus.* St. Th. VI, 928 *tenui nubila hasta.* XII, 750 *transiit hasta duos.* = transigere, defungi: St. Th. II, 197 *quod superest fati vitaeque laborum.*

transmittere = locum traiicere: Val. II, 623 *transmissa puppi Lampsacus.* St. Th. IV, 622 *Lethen.* VII, 425 et IX, 239 *fluvium.* X, 521 *patulas fossas.* = locum iaciendo superare: Th. VI, 677 *flumina disco.* VI, 932 *iactu circum.* = præterire, negligere: St. Th. VIII, 596 *leo inbelles vitulos mollesque iuvencas transmittit.*

transnare St. Th. IX, 311 *sublimi transnantem flumina curru.*

transscendere Val. IV, 220 *Bebrycium fretum* (puppis). = præstare: St. Silv. I, 4, 126 *Troica saecula et Euboici transcendere pulveris annos Nestoreosque situs.* V, 3, 255 *Pylias aevi metas.*

transsilire St. Th. VII, 585 *transiliunt campos* (tigres).

transvehi St. Th. VI, 702 *partem circi transvecta* (sagitta).

B) Verba cum præpositionibus ablativum regentibus composita:

abnuere St. Silv. IV, 3, 159 (scandes belliger) *abnuesque currus.* Spreto Sangallensis testimonio, adnotatione Politiani servato, Baehrens coniecturam Italorum recipiens scripsit *adnuesque* i. e. triumphabis ipse aliisque triumphi honorem dabis. Neque tamen quidquam est, cur a memoria Sang. recedamus, quum optimam præbeat sententiam: triumphos (multitudine satiatus) repudiabis. Cfr Koestlin, Philol. 35 (1876) p. 508. Accusativi loco se-

quitur infinitivus: Val. III, 678. St. Ach. II, 243. Th. II, 190.

abolere Val. III, 449. St. Ach. I, 135. Th. I, 269. III, 270. VI, 221. VII, 208. XI, 660.

aversari St. Silv. II, 1, 170 *lucem.* VIII, 558 *soceros aversatus erat.* Depravatam librorum lectionem *adversatus* retinuit Queck. VIII, 765 *aversata iacentem* (dea). XII, 564 eadem fere verba. X, 767 *alumnos* (pater). Eadem significatione usurpatum est

averti St. Th. VI, 192 *avertitur herbas.*

debellare = vincere, superare: St. Th. V, 31 *debellatos ense mares.* IX, 191 *leonem pastorum lassae debellavere cohortes.* VII, 86 *debellatas reliquit Eurus aquas.*

desuescere verbi participium cum accusativo iunctum deprehenditur: St. Th. V, 231 *fera rabiem desueta.*

eluctari = luctando superare: Val. III, 184 *eluctanda via.* St. Ach. I, 525 *oppositum vox eluctata furorem.*

enare = navigando traiicere: Val. V, 315 *totumque fretis enavimus orbem.*

eniti St. Th. V, 464 *enitor geminos.*

expugnare St. Th. VI, 779. VII, 205. Translate: IV, 187. IX, 315.

praecedere 1) = ante ire: Mart. IX, 100, 3 *sellam.* 2) = præterire: St. Silv. III, 1, 156 *volucres zephyros praecedere telo* cum libris Baehrens; Queck *praevertere.* Th. I, 293 *notos.* = superare: St. Silv. II, 2, 146 *priscae titulos praecedite famae.* II, 6, 36 *praecedit clara minores luna faces.* II, 6, 54 *Pyladen praecedere fama Cecropiamque fidem.*

praecelerare verbum a Statio novatum (Cfr Grosse l. c. p. 28) transitive adhibetur: Th. IV, 799 *pars praecelerant ducem.* Intransitive positum est: Th. II, 497.

praecurrere Val. II, 128 *praecurrere bella soles* (Fama). = prævenire: I, 804 *nostras diras.*

praefulgurare Val. III, 119 *vias praefulgurat ense.* Intransitive: St. Th. VII, 502.

praegredi 1) = prætergredi: St. Silv. V, 1, 106 *Fama prae-*

gressa diem. Sandstroem (Stud. crit. p. 33) *praegressa diem* vocabula corrupta putans locum ita emendare conatur: *quae iussa deum* cet. Th. VI, 558 *alipedem fugam equorum.* 2) = vincere, superare: St. Silv. I, 4, 61 *praegressusque moras.* Libri *progressus.* Haupt (Opusc. III p. 132) *egressus* proposuit, quod Baehrens in textum recepit. Sandstroem (Stud. crit. p. 15) *praequestusque.* IV, 1, 33 *iuvenis praegressus avos.* Th. III, 601 *manu avorum facta.*

praelabi = præterlabi: Val. II, 581 *litoraque et veteris tumulos praelabitur Ili Dardaniumque patrem* (carbasus). Ad libidinem hunc locum mutavit Baehrens, ita scribens: *veteris tumulus praelabitur Ili Dardaniusque pater*, quod *ratis* vocabulum nullo modo audiri posset. Sed nihil supplendum est; nam, ut vere admonet Koestlin (Philol. 39 (1880) p. 249), Val. scripsit: IV, 615 *limite recto puppis et aequali transcurrat carbasus aura.*

praestare 1) = superare, antecedere: St. Th. IV, 207 *Argolicasque habitu praestabo maritas.* IV, 839 *te nec Apollineus Ladon nec Xanthus uterque Sperchiusque minax centaureusque Lycormas praestiterint.* 2) = dare, præbere sequente dativo eius, cui alqd datur: St. Silv. I, 4, 129. V, ep. 6. V, 2, 125 (de quo vid. quæ adnotavit Baehrens). Ach. I, 597. Mart. Sp. 5, 4. 9, 1. 28, 10. I, 12, 5. 14, 2. 49, 13. 108, 7. II, pr. 2. II, 14, 6. 34, 3. 48, 7. 62, 3. 62, 4. 74, 7. III, 6, 6. 10, 2. 36, 1. 36, 2. 46, 11. 82, 31. IV, 63, 4. V, 52, 1. VI, 11, 9. VII, 28, 7. 43, 1. 99, 6. VIII, 38, 2. 38, 8. 57, 6. IX, 20, 5. X, 11, 3. 96, 13. 98, 8. XI, 24, 2. XII, 12, 2. 14, 7. 40, 5. 43, 7. 54, 2. 96, 5. XIII, 30, 1. XIV, 42, 1. 215, 2. Accusativi loco sequitur *ut*: X, 44, 7. *se praestare* = se præbere: XII, 65, 2.

praevenire 1) proprie: St. Th. VI, 239 *Lunae praevenerat ignes* (Lucifer). 2) translate: Val. I, 768 *minas.* St. Th. IV, 12 *hortamina.*

praevertere = præterire: St. Silv. III, 2, 125 *turmas.* Ach. II, 397 *cervos et Lapithas equos.* Th. IV, 271 *trepidos*

cervos. V, 691 *equitum alas.* VIII, 599 *equos.* = præcavere, vitare: Silv. V, 2, 79 *morsus serpentum.*

propugnare St. Th. II, 584 *hostili propugnans pectora parma.* IV, 110 *propugnant pectora crates.* P vitiose *pectore grates.*

CAP. V.

Quinto hoc capite ea verba cum *ad*, *cum*, *in*, *inter*, *sub* composita collegi, quæ ab intransitivis simplicibus profecta præter accusativum dativum quoque sibi adiungunt. Atque si quæramus, quod discrimen inter dativum et accusativum his verbis additum intercedat, perspicua quidem est in nonnullis significationis quædam dissimilitudo. Nam *accidere* cum dativo iunctum idem valet quod evenire vel contingere, et accusativus *convenire* verbo non adiungitur, nisi idem est quod adire, reperire. In aliis — *adsidere*, *adsultare*, *advolare*, *inruere* — illud interlucet discrimen, quod accusativus sequitur, ubi obsidendi vel aggrediendi notio his verbis subest. Aliis porro — *adsilire*, *intervolare* — alter subiicitur casus, ubi de motu locali, alter ubi translate adhibita sunt. In ceteris autem vix quidquam afferri potest, cur hoc loco dativus, illo accusativus positus sit. Quænam est enim in verbi significatione dissimilitudo inter Val. VI, 665 *comas ac summa cacumina silvae adludit auster* et St. Th. IX, 336 *extremis adludunt aequora plantis?* An inter Val. V, 535 *vos tectis advenisse meis* et St. Th. I, 644 *tuos supplex penates advenio?* Quid? quod Statius *insistere* verbo Th. III, 319 accusativum addidit, at III, 487 dativum.[1] Ne multa, tanta mihi videtur necessitudo inter dativum et accusativum huiusmodi verbis appositum intercedere, ut de nostris saltem Haasius prorsus non audiendus sit, quum ita distinguit:[2]

[1] Cfr verbum *insilire* p. 9.
[2] l. c. II p. 125.

"— überhaupt sofern die Präpositionen nur ausdrücken, dass etwas in Verbindung tritt mit einem andern, ein Anhang, Zubehör dazu wird, die Richtung darauf hat, ihm nahe kommt, oder in der Nähe ist, so steht der Dativ; ist aber die Verbindung eine wirkliche Berührung, welche das Object ergreift und afficirt, so wird natürlich der Accusativ gesetzt." Nam ut e verbis, quæ dativum adsciscunt, exempla capiamus — velut *adfigere*, *infligere*, *inlidere*, similia —, hæc verba nonne "eine wirkliche Berührung" significant? Quare in illud, quod Haasius statuit, discrimen valere puto, quod ipse de transitivis et intransitivis verbis iudicat:[1] "Es hat also dieser Unterschied überhaupt nicht im Bewusstsein der Sprachbildner gelegen; sie ist eine künstliche Erfindung der Grammatik und Reflexion, nnd lässt sich gar nicht halten".[2] Rectissime vero rem iudicavit Hahn,[3] qui causam, cur verbum aliquod compositum dativum vel accusativum regat, non semper in ipsis verbis, sed sæpissime in dicentis vel scribentis consuetudine inesse declarat.

accedere verbum 1) de motu locali usurpatum sequitur a) præpositio *α*) *ad:* St. Th. IV, 607 *non ille* (Laius) *aut sanguinis haustus aliumve accedit ad imbrem.* Mart. VIII, pr. 16 *lustratos accedere ad templa.* XII, 26, 12 *accedit servus gelidam ad auriculam.* Eodem modo præpositio adiungitur substantivo verbali *accessus:* St. Th. V, 732 *placidasque accessus ad aures.* Veram lectionem ex Bamb. restituit Mueller; ceteri libri nullo sensu *accessit*, quod Queck retinuit. *β*) *in:* Val. III, 186 *accessere Tyndaridae in sese*, ubi tantum fere valet quantum invadere, irruere contra. VI, 258 *in latus accedit sonipes* (accedit et ipse frigidus). Verbo *accedit*, quod in omnibus libris est, languidiorem effici sententiam inter

[1] l. c. I p. 55.
[2] Cfr quæ de verborum in transitiva et intransitiva distributione a veteribus grammaticis facta disputavit H. Mueller, de generibus verbi. Gryphisw. 1864 p. 28 sqq. Illa prorsus reiecta novam ipse invenit, qua verba relativa in verba »relationis efficacioris vel fortioris» et verba »relationis remissioris vel debilioris» discernit (p.30). Sed dubium videtur, an nihil aliud quam nova nomina creaverit.
[3] l. c. p. 4.

omnes convenit; in emendando variæ tentatæ sunt mutationes, quarum lenissima est Heinsii *adsedit*, quam Schenkl recepit neque omnino reiicit Thilo. Ph. Wagner (Jahrb. f. class. Philol. 89 (1864) p. 399) *accumbit* vel *incumbit* a Valerio scriptum fuisse opinatur. Forsitan verum viderit Baehrens, *accepit* coniiciens, quod Koestlino quoque probatur (Philol. 39 (1880) p. 36). b) accusativus: Val. II, 283 *patrios saltus.* III, 413 *coetus vestros.* St. Silv. III, 3, 29 *horrendum silentis domini solium.* Th. XII, 180 *cominus infandi leges accedere regni*, quod locali sensu dictum esse apparet ex adverbio, quod sequitur, *quo.* Dictum est igitur pro "regnum infandis legibus". XII, 363 *virginis aures accessit sonus.*[1] c) dativus: Val. I, 829 *illa* (Tartarei aula patris) *ruenti accessura polo.* II, 443 *prorae Imbros.* IV, 635 *accedite propius dextrae.* Cfr St. Silv. V, 1, 184, ubi eadem fere verba sensu translato efferuntur. I, 2, 116 *Thetin Haemoniis terris.* Th. I, 10 *muris Tyrios accedere montes.* V, 343 *maria carinae.* XI, 235 *membris vestes.* 2) translate a) = rem aggredi sequitur α) præpositio *ad:* Mart. VII, 18, 5 *ad opus.* β) accusativus: St. Ach. II, 21 *iussa.* P *iuxta;* correxit Baehrens. Alii nonnulli *iussis.* b) = alci adiungi, alcs sententiam sequi, participem rei fieri α) accusativus: St. Th. II, 189 *soceros accedere tales.* "adiungi iis" Barth. β) dativus: Val. II, 378 *tuis actis.* St. Silv. IV, ep. 39 *consilio eius accedam.* Ach. I, 363 *dictis pater.* I, 370 *castis sacris.* Th. VIII, 366 *accessere regenti* (Elaeae Lacedaemoniaeque cohortes et Pylii). X, 186 *nec accedit domino tutela minori.* "novo gubernatori, qui in locum defuncti successit, non nimis conservandæ navis sibi creditæ accedit studium", ut sensum exposuit Barth. Scholiasta *accedit* interpretatur *succedit.* Rectius, opinor, *tutelam* intelliges deum, cuius in tutela navis est, qui novo gubernatori, ut inexercitato, navem non credit. c) sequitur dativus eius rei, cui alqd obtingit vel additur ita,

[1] *inaccessus* adiectivum a Vergilio novatum (Aen. VII, 11) apud Statium bis invenitur: Silv. V, 5, 6. Ach. I, 599.

ut augeatur: Val. V, 199 *numero accede tuorum.* St. Silv. IV, 1, 1 *laeta bis octonis accedit purpura fastis.* V, 1, 167 *quantae poterant mortalibus annis accessisse morae.* Th. VI, 623 *lacrimarum gratia formae.* Mart. VII, 53, 4 *his comes accessit spongia, mappa, calix.* X, 103, 7 *quattuor accessit tricesima messibus aestas.* XII, pr. 14 *accedit his municipalium rubigo dentium et livor.*

accidere verbum apud St. non invenitur, apud Val. uno loco, ubi 1) cum accusativo iunctum est: II, 452 *vox accidit aures.* Baehrens pro *accidit* librorum lectione in textum recepit *attigit*, quod codex ψ unus exhibet. Aut hoc ipsum aut *excidit auris* scribendum censet Lachmann ad Lucret. V, 608. Sed quum Plautus (Stich. I, 2, 31) *sonitus auris accidit* scripserit, nihil causæ esse puto, cur a libris recedamus. Nam argenteæ, quæ vocatur, ætatis poetas verba composita haud ita raro ad veterum morem construxisse iam commemoravi. (Cfr p. 12.) Et Schenkl quidem *accidere* verbum non hoc loco solum servavit, sed etiam contra auctoritatem librorum in textum intulit Val. IV, 580. Vid. s. v. *excidere.* 2) notissima significatione evenire contingere usurpatum hoc verbum dativum assumit: Mart. II, 65, 6 *hoc tibi.* VI, 82, 11 *hoc poetae.* VII, 14, 1 *infandum scelus nostrae puellae.*

adludere 1) accusativus: Val. VI, 665 *comas ac summa cacumina silvae adludit auster.* 2) dativus: St. Th. IX, 336 *extremis adludunt aequora plantis.* = juxta alqm ludere: Silv. II, 6, 101 *illi* (filio) *Avernales adludunt Naides.*

adsidere 1) proprio sensu adhibitum sequitur dativus: Mart. II, 14, 8 *cathedris tuis.* II, 41, 19 *Te maestae decet adsidere matri.* 2) = obsidere sequitur accusativus: Val. V, 535 *me gravis adsidet hostis.*

adsilire verbum St. coniunxit 1) de motu locali cum accusativo: Th. V, 56 *quas* (insulas) *adsilit Aegon.* VI, 777 *hostem* (intratque et obumbrat et alte) *adsilit.* Per similitudinem de sonitu: X, 456 *novus adsilit aethera clamor.* = aggredi: Th. III, 77 *te series orbarum excisa domorum —*

te quinquaginta animae adsilient. 2) translate cum dativo: St. Silv. V, ep. 10 *huic operi adsilui.*

adsistere 1) proprio sensu a) accusativus: Val. V, 640 *illas adstiteris trabes.* St. Th. III, 299 *hos equos.* b) dativus: Val. III, 159 *festis mensis.* Huc referendum puto etiam: III, 62 *ecce super foribus Bellona reclusis adstitit;* nisi forte *super* præpositionem accipere mavis. Cfr Verg. Aen. VI, 17 et Forbiger ad Verg. Aen. I, 680. St. Th. IX, 557 *cui* (Hypseo) *super adsistens.* 2) translato sequitur dativus: St. Th. I, 504 *operi.* Reliquus est locus: Val. VI, 209 *alipedemque adstitit,* ubi illud *adstitit* Baehrensius coniectura intulit. Libri habent *constitit,* quod Thilo et Schenkl retinent, quamquam idoneum sensum non præbet. Neque enim quidquam afferri potest ad vim transitivam huic verbo vindicandam. Nam loco illo Lucret. VI, 11 *consistere* verbum intransitivum intelligendum esse docet Lachmann.

adstare vid. infra.

adsultare 1) cum dativo: Val. II, 504 *pontus lateri adsultans.* 2) cum accusativo = invadere, aggredi: St. Th. VII, 384 *quam* (urbem) *hostis indigena adsultat.* XI, 244 *portarum moras frenis adsultat et hastis.*

advenire verbum. 1) proprio sensu usurpatum sequitur a) accusativus: Val. II, 302 *Taurorumque locos delubraque saeva Dianae.* St. Th. I, 644 *tuos supplex penates advenio.* I, 672 *Argos.* b) dativus α) rei: Val. V, 535 *vos tectis advenisse meis.* β) personæ: Val. I, 156 *talia contanti Jovis armiger advenit.* V *conanti,* Baehrens *motanti.* Ph. Braun (Observationes criticæ et exegeticæ in C. Val. Fl. Argonautica. Marb. 1869 p. 10) *iactanti* a Valerio scriptum esse existimat. St. Th. II, 202 *advenisse duci generos.* IV, 77 *huic advenere viri.* c) *ad* præpositio huic verbo addita deprehenditur: St. Th. V, 681 *non vos ad moenia Thebes rebar et hostiles huc advenisse catervas. at* vocula pro *et* in textu posita Duebnerus, Barthium auctorem secutus, hunc locum sanare conatus est. (Vid. quæ adnotavit Mueller.) Sed ne ita quidem probabilis efficitur

sententia. Una littera mutata virgulaque post *moenia* posita Sandstroem locum elegantissime in hunc modum emendavit (Stud. crit. p. 50): *non vos ad moenia, Theben rebar* cet. Qua emendatione accepta nescio an melius audiatur verbum substantivum, ad quod se referant verba *ad moenia.* 2) translato accusativus: V, 47 *hos advenias labores.*

advolare 1) dativus personæ: Val. I, 163 *huic regia proles.* III, 72 (manus,) *quae furenti advolat.* VI, 655 *lapso Aesonides.* St. Th. VIII, 136 *hortanti Adrasto Palaemon.* 2) accusativus, ubi verbùm idem significat quod invadere: Val. IV, 300 *advolat ora viri* (Pollux). 3) *ad* præpositio iterata: St. Silv. II, 2, 117 *ad carmina Siren advolat.*

confidere verbum cum accusativo coniunctum semel invenitur: St. Th. II, 573 *terrigenas confisus avos.* Barth *confessus*, quod interpretatur "gloriari solitus"; sed *confisus* iam Priscianus legit. Vid. Klotz. (lex. s. v.). Ceteris locis sequitur 1) dativus: St. Th. XII, 376 *possum tibi me confisa fateri.* Lemaire virgulis post *possum* et *confisa* positis hæc verba falso distinguit; nam illud *me* pertinet ad *fateri.* Cfr. Ovid. Met. VIII, 53 *fassa me flammasque meas.* XII, 648 *tantae causae.* 2) ablativus: St. Th. XII, 743 *triplici robore gentis.* 3) incerta casus forma: Val. I, 176 et VI, 625 *regnis.* St. Th. V, 292 *Lyaeo.* XII, 223 *malis.* Mart. II, 47, 3 *natibus.* Versus 3, 4 in T desunt.

convenire 1) = adire, reperire sequitur accusativus: Mart. II, 67, 3 *me.* VII, 26, 1 et 10 *Apollinarem meum.* VII, 73, 5 *te.* 2) = aptum esse a) dativus: Mart. IV, 10, 6 *muneribus convenit illa* (spongia) *meis.* VIII, 48, 6 *deliciis iste color.* XI, 37, 4 *eadem digitis pondera.* XII, 32, 25 *sarcinarum pompa ponti.* XIV, 47, 1 *mitis mihi aetas.* XIV, 113, 2 *ardenti murra Falerno.* b) *in* (post quod mutata structura legitur dativus): St. Th. VI, 673 *quod latus in digitos mediae quod certius ulnae conveniat.* — Impersonaliter verbum positum est: Mart. VI, 65, 5 *conveniat nobis (ut).* VIII, 35, 3 (miror non bene) *convenire vobis.* Restat obscurus ille locus: St. Th. VIII, 295

is ubi (intorto signavit vellere crinem) *convenitque deis.* "nachdem er sich der Götter versichert" reddit Bindewald, fortasse Barthii adnotatione ductus: "probatus est ab iis (deis) et in sacerdotium susceptus". Cui vereor ne assentiri non possim. Nam verbum *convenire* personaliter nusquam ita adhibetur, ut is, cui cum altero res conveniat, subiectum sit, utque dativus ponatur eius, qvocum alicui conveniat. Neque vero impersonaliter dictum puto illud *convenit;* quod si ita esset, Statius nihil dixisset nisi "deos inter se consentire". Ergo hoc modo locum interpretandum censeo: "ubi ad sacrum deorum ministerium se paravit et ad sacerdotium obeundum aptus (itaqve deis acceptus) factus est."

incubare verbo St. semel 1) accusativum apposuit: Th. X, 108 *stipatos flore tapetas incubat.* Queck *tapetis* in tribus libris scriptum esse docet. Sed defenditur lectio vulgata tribus locis Apuleii, ubi cum accusativo iunctum est verbum *incubare* (Met. IV, 9. IV, 17. VII, 7). Alibi 2) dativum semper hoc verbum assumit et proprio et translato sensu usurpatum: Val. II, 494 (caelum,) *quod incubat urbi.* St. Silv. II, 3, 55 *uberibus stagnis* (arbor). III, 4, 25 *salutifero deus angui.* V, 1, 201 *ore ligato incubat amissae* (iuvenis). Th. X, 303 *tali miseris deus aliger umbra incubat.* Cfr Silv. I, 2, 84 *haud ulli vehementior umquam incubui.* Th. XI, 698 *patriae terrae.* = servare, custodire: St. Silv. II, 7, 130 (vultus,) *qui incubat somno.* Mart. II, 53, 3 *gazae.*

incumbere 1) cum accusativo: St. Th. VI, 576 *Palladios haustus incubuit.* 2) cum dativo a) de hominibus: St. Silv. III, 3, 9 *favillis.* Th. I, 72 *digitis caedentibus ultro incubui.* P habet *cedentibus* (i e. tam crudele ministerium detrectantibus), quod Queck in textum recepit. II, 123 *stratis.* IV, 809 *incubuere vadis turba simulque primique.* b) de rebus inanimis: Val. II, 60 *venti veloque marique.* St. Silv. I, 3, 18 *nemora alta citatis vadis.* Th. VII, 44 *incumbunt tecta columnis.* Mart. V, 13, 5 eadem fere verba. Translate: Val. I, 684 *stabulis et messibus ingens*

ira deum et Sirius incubuit. III, 477 *his orat vigiles incumbere curas.* St. Silv. III, 1, 53 *caeli cum torrentissimus axis incumbit terris.* = instare, persequi: Val. VI, 722 *versis turmis.* = cupide se rei dare, cupide haurire: Val. V, 594 *profundo incumbens Odrussa mero.* Eodemque fere sensu: St. Th. IV, 559 *tristi incumbere sulco.* (Cfr v. 553 *submittit ora lacu.*) *tristi sulco* "fossam sanguine plenam" interpretatur Barth. 3) cum præpositione *in:* St. Silv. III, 2, 133 *in mea pectora.*

ingemere 1) accusativus: St. Silv. III, 3, 137 *hos annos.* Ach. I, 238 *illum non alias rediturum.* Th. IV, 355 *parentem unanimum — dulces primaevae coniugis annos et gremio miseros adcrescere natos.* IX, 2 *iacentem.* XI, 747 *vires solutas ingemit* (leo) *et campis alios regnare leones.* 2) dativus: Val. IV, 450 *consuetis fatis.* Pro *consuetis* Baehrens *confectis*, Madvig (advers. crit. p. 144) *consumptis.* St. Th. X, 907 *ingemit dictis superum dolor.* His duobus locis de ablativo quoque cogitari potest (cfr Curt. IV, 10, 30 *morti.* IX, 3, 20 *morte*), qui accipi debet Val. I, 577 *dei rapidis nemus ingemit alis.* Perspicua est dativi forma: St. Th. II, 318 *profugo quos ipse notarat ingemuisse sibi.*

ingredi verbum sequitur 1) accusativus a) proprio sensu: Val. I, 304 *aequora.* b) translato: St. Silv. V, 2, 32 *iuventam.* Th. II, 195 *ingressos felicia regni omina.* "ingressos felicibus ominibus regnum tuum" bene explicat Barth. = incipere, suscipere: Val. V, 70 *rector cursus.* St. Silv. IV, 4, 2 *ingressa vias* (epistola). V, 3, 154 *saltusque ingressa viriles* (Sappho) lectionem librorum a Baehrensio restitutam defendit Koestlin (Philol. 35 (1876) p. 518). Queck in textum admisit *actusque egressa viriles* coniecturam Marklandi, quæ bonam illa quidem præbet sententiam, sed nullo modo desideratur. Th. XII, 20 *ingressa volatus* (turba volucrum). XII, 673 *pugnas.* Mart. XIV, 130, 1 *viam* (paenula). 2) *dativus*: Val. I, 744 *quibus ingreditur fatis.* Baehrens *factis.* Ladewig (ad Aen. X, 148) Vergilium verbo proprio sensu adhibito primum dativum apposuisse adnotat.

inhiare 1) dativus: Val. II, 531 *pistris inhiat iam proxima praedae.* Translate: V, 468 *primis inhiantia dictis agmina.* Val. I, 202 *illi inhians* coniectura in textum intulit Baehrens. Locus corruptus est in V, qui duobus extremis litteris deletis *ille mi . .* habet; unde Schenkl (Stud. p. 65) scribendum censet *ille mihi* (sc. poenas dabit). Editores vulgo ex codice Monac. ediderunt *illum ego*, notissimam aposiopesin. (Cfr quæ adnotavit Forbiger ad Verg. Aen. I, 135.) 2) accusativus: St. Th. II, 118 *fraternos obitus.*

inlabi 1) dativus a) de motu locali: St. Th. I, 294 *regnis opacis.* X, 278 *clipeo.* XII, 112 *tristibus famulis.* b) translate: Th. I, 602 *dira lues thalamis.* 2) accusativus: Th. VII, 6 *medium Borean inlabere saltu.*

inreptare 1) dativus: St. Silv. III, 1, 178 *subolesque nova grexque protervus humeris inreptet avi.* Th. IV, 386 *pampineum nemus inreptare Lycurgo.* Translate: Silv. V, 2, 63 *signa iuventae inrepsere genis.* 2) accusativus: St. Th. XI, 732 *hostiles Mycenas inreptet* (Oedipus).

inruere 1) = se iniicere sequitur dativus: Val. V, 689 *adversis armis.* St. Th. IX, 233 *ille* (Centaurus) *inruit attonitis.* 2) = aggredi sequitur accusativus: Val. VI, 255 *inruit turbatum Lacon.*

insīdere 1) dativus: St. Th. XI, 422 *montibus insidunt patriis.* 2) accusativus: St. Th. II, 36 (sublimis apex) *fessis insiditur astris.* II, 151 *locum.* Præteriti et participii passivi formas quum communes habeant verba *insīdere* et *insidēre*, utrum verbum intelligendum sit, sæpissime in medio relinquendum est. Memineris tamen velim apertam verbi *insidēre* formam apud nostros nusquam exstare. Legitur autem a) præteritum: Val. I, 513 *strictos insedimus amnes.* V *insedibus.* II, 177 *Sarmaticas domos.* IV, 445 *vates Apollo pectora.* St. Silv. III, 1, 79 *innumerae gaudentia rura superne insedere domus.* V, 2, 167 *patrias curules.* b) participium: St. Silv. I, 1, 56 *insessa pondere tanto humus.* Th. VII, 743 *presserit insessos onus.* Libri *infessos; insessos* Barthii coniectura est, a Queckio recepta. XII, 236 *insessa cubilia monstris.* XII, 540 *insessis aris.*

insilire 1) accusativus: Val. IV, 683 *scopulos.* VIII, 133 *puppem.* St. Th. II, 209 *Ogygias dea turbida Thebas insilit.* 2) dativus: Val. II, 513 *scopulo.* Heinsius *-os.* St. Ach. II, 306 *alno.* Th. IX, 230 *vadis.*

insistere 1) accusativus: St. Th. III, 319 *Othryn et Arctoae gelidum caput institit Ossae.* VII, 766 *nec insisti madidus dat temo.* XII, 650 *Hyperboreos institit axes Iuppiter.* 2) dativus: St. Th. III, 487 *terris.* Translate = in re perseverare: III, 519 *animis tuis.*

intervolare verbum sequitur 1) de motu locali usurpatum accusativus: Val. II, 614 *intervolat medias urbes* (Iason). St. Th. II, 539 *fuscas intervolat auras hasta.* 2) translate dativus: Val. V, 27 *oculis intervolat Idmon.*

subire verbi a Val. et St. adamati variæ multiplicesque sunt significationes et structuræ. Coniungitur enim cum 1) accusativo a) = sub alqd ire ferendi vel sustinendi causa α) proprio sensu: Val. I, 185 *Minyae puppem humeris subeunt.* II, 605 *celeri subiere ruentem Cymothoe Glaucusque manu.* Cfr VII, 460 *ille manu subit et vim corripit omnem.* VII, 554 *Echionii subeunt inmania dentis semina.* "sinu excipiunt" Lemaire. St. Th. I, 700 *Phrygios humeris molares.* β) translato = suscipere, recipere: Val. III, 702 *ducis curas meritosque honores.* VII, 428 *patris iussa.* Cfr V, 659 *iussa sui tam dira tyranni inpavidus maria et nondum qui nota subibat*, ubi *iussa subire* translate, *maria subire* proprie dicitur. St. Silv. I, 2, 28 *subiit leges ille solutus amor.* I, 4, 93 *habenas, Gallice, subisti.* IV, 3, 130 idem substantivum. Th. I, 23 *subeuntem exorsa parentis.* II, 371 *ea munera Tydeus sponte subit.* V, 324 *subeo exsangue imperium et maestam sine culmine Lemnon.* VIII, 101 *nova fata.* Infinitivus sequitur: Silv. V, 2, 105. b) = intrare, ingredi et proprio sensu et translato: α) domos, ædificia: Val. V, 569 *medios penates.* St. Silv. I, 2, 160 *Idaliasque domos Erycinaque templa.* I, 4, 67 et II, 2, 55 *tecta.* IV, 1, 8 *subiere novi palatia fasces.* Th. I, 481 *penates.* XII, 46 *domos.* Mart. II, 53, 8 *tua*

non rectus tecta subire potes. Cfr IV, 18, 3. VI, 47, 2. β) urbes aliave loca: Val. VIII, 229 *Idalium aut dilecta Cythera.* St. Silv. V, 2, 138 *Solymum cinerem palmetaque capta.* Th. III, 209 *Argos fama subit.* V, 486 *fama subit portus.* X, 474 *Thebarum claustra.* X, 855 *ceu suprema lues urbem facibusque cruentis Bellona subiret.* XII, 202 *Thebas.* Mart. I, 117, 9 *Argi subire letum.* γ) campos, arva: Val. VIII, 322 *terras* (Iuno). St. Silv. II, 3, 14 *Coelica tesca.* Librorum scriptura *tecta* idoneum sensum non præbet, quoniam infra (v. 17) legitur *posuit se margine ripae;* retinetur tamen a Queckio. *tesca* Marklando debetur. Th. III, 143 *Thessalis campos.* VII, 34 *Thracum Cyllenius arva.* δ) castra, vallum: St. Silv. V, 2, 153 et Th. XI, 148 *vallum.* Th. IV, 9 *castra* (Bellona). X, 150 idem de Somno. De navigantibus: Val. V, 184 *prima gravi ductor subit ostia pulsu.* St. Th. V, 336 *Pelias intacti late subit ostia ponti pinus.* Pro *hospita*, quod omnes pæne libri exhibent, Muellerus ex codice Colb. collato Th. VI, 328 in textu posuit *ostia.* Nihil tamen mutandum; nam *hospita ponti* idem est quod Verg. Aen. III, 377 *hospita aequora.* De adiectivis neutro genere pro substantivis positis cfr adnot. Forbigeri ad Verg. Georg. I, 393. ε) Singularia hæc sunt: St. Silv. I, 6, 85 *caerula nox orbem.* IV, 4, 93 *vacuos crines infula.* Th. III, 486 *subiere notos* (alites). *notos* retinuit Mueller, Weberi explicatione "ad meridiem enim augur romanus obtutum dirigebat" contentus. Lachmann *polos.* Koestlin *notas* (Philol. 37 (1878) p. 284). c) = in locum descendere, penetrare: Val. I, 128 *tenues subiere latentia lumina cerae.* IV, 90 *subeuntibus astris Oceani genitale caput.* St. Silv. II, 7, 101 *Lethen.* Ach I, 178 *saltu flumina.* Th. IV, 144 *Peneia saltu stagna.* IX, 498 *stagna subit radice* (fraxinus). IX, 507 *segnesque lacus et stagna.* Silv. V, 3, 74 *Tartara.* Th. I, 307. X, 25. XI, 622. Eodemque modo Silv. V, 1, 206 *tartareum chaos.* Silv. II, 1, 155 *Manes.* V, 1, 258. II, 6, 98 *pios.* De telis in corpus descendentibus: Val. III, 105 *subit ilia cuspis.* V *subtilia.* St. Th. V, 571 *hiantia*

monstri ora subit (hasta). IX, 873 *cutem cuspis.* De homine dictum tantundem valet quantum perfodere: Th. X, 274 *subit ordine nullo terga pectoraque* (Adrastus). "occidit, penetrat telis" Barth. Usurpatur etiam de corporis tegmentis, idemque significat quod induere: St. Silv. IV, 4, 66 *subeant thoraca lacerti.* Sententiarum nexui quum hic versus, ut in libris scriptus est, plane repugnet, Barth, ut sensum restitueret, *haud* voculam ante *tarde* inseruit. Sandstroem (Stud. crit. p. 29) pro *subeant* proponit *fugiant*, quod explicat "thoracis pondus non cito abiiciant." Ach. I, 652 *hos cultus aut foeda tegmina.* Th. X, 257 *loricam galeamque.* Inde ducta est similitudo illa: Val. IV, 357 *Inachiae paelex subit ora iuvencae.* De falsa I. A. Wagneri huius loci interpretatione vid. Gebbing l. c. p. 10. Eadem intrandi vel penetrandi notio verbo subest, ubi usurpatur sensu translato et imprimis de animi permotionibus: Val. I, 713 *te genitoris imago et luctus subeunt suspiria nostri.* I, 759 *curae subiere ducem.* III, 230 *dolor virtusque subibit nil ausas manus.* Recte Schenkl et Baehrens Heinsii coniecturam receperunt pro *dolor virtute* lectione codicis V a Thilone servata. *dolor virtusque* enim per figuram illam *ἓν διὰ δυοῖν,* quæ vocatur, dictum est pro *virtus dolore excitata.* (Cfr Gebbing l. c. p. 87.) VII, 182 *te Hecates subeat metus.* St. Silv. III, 1, 90 *deus dilecta Polli corda subit.* Th. I, 126 *gentilis animos furor.* II, 309 *animum illa dies.* IX, 712 *Dianae corda dolor.* IX, 862 *iuvenem ira.* X, 161 *horror Thiodamanta.* d) = accedere, appropinquare; præsertim si de loco altius sito sermo est, quo quis ab inferiore parte accedit: Val. II, 586 *Phrixea aequora et angustas faces.* VIII, 161 *subierunt litora remi.* Huius versus finis in V deest. *litora remi* Italorum supplementum est, a Baehrensio in textum illatum. VIII, 192 *saeva saxa.* St. Silv. II, 1, 187 *steriles ripas et adusta litora.* II, 2, 34 *Ephyres altum culmen.* Ach. I, 30 *discusso subit aera ponto* (Thetis). Th. VI, 448 *subit astra fragor.* VIII, 766 eadem verba de Tritonia. = invadere, aggredi: St. Th. II, 491 *castra.* VI,

877 (fictum in colla minatus) *Tydeus crura subit.* Sequente accusativo personæ significat ad alqm adire, alqm aggredi: Val. II, 556 *illum acri astu rex subit.* VI, 251 *Ambenus trunco medium subit Ocrea ligno.* VII, 630 vid. s. v. *adire.* St. Th. II, 474 *te, Meleagre, subit* (Oeneae vindex Dianae). VIII, 85 *ille mirantem.* IX, 511 *precibus Tonantem Iuno.* X, 406 *precibusne subiret an armis instantes.* X, 721 *fraude patrem.* e) = subsequi: St. Th. X, 298 *sua quemque turba.* 2) cum dativo sensu translato: Val. VI, 439 *sola animo Medea subit.* St. Th. III, 385 *pectoribus mens una subit.* Dativus accipiendus est etiam: St. Th. VII, 238 *subeunt campo*, ubi proprio sensu verbum usurpatur. Cfr Verg. Aen. VII, 161 et quæ Ladewig in eum locum adnotavit. Contra haud ambigua est 3) ablativi forma: St. Th. I, 406 *subit uno tegmine* (Tydeus) i. e. idem tectum. Similia ablativi verbis movendi additi exempla vid. s. v. *incidere, inclinare, (submittere).* Cfr etiam quæ de ablativo eo, quem interdum adsciscit *in* præpositio verbis movendi apposita, disserunt Madvig (ad Cic. de Fin. V, 30, 92) et Kuehnast (l. c. p. 191). II, 624 *subit ore cavo Theumesia cornus.* "in os ipsum" Barth. Fortasse *ore cavo* cum scholiasta, qui explicat "subit hominem ore", ablativum viæ accipere mavis. Eodem enim sensu absolute dictum est *subire:* Th. XI, 509 *hasta subit velox equitis femur inter equique ilia.* 4) cum præpositione a) *ad* α) proprio sensu: St. Th. X, 746 *tectorum subit ad fastigia hasta.* β) translato: Th. VI, 698 *ad conatus subit Menestheus.* X, 183 *ad vidui moderamina clavi* (laterum custos). b) *in:* St. Th. IX, 149 *in medios campos* (Tisiphone).

CAP. VI.

In dativi denique rationem, quem verba cum præpositionibus composita adsciscunt, ut paullum inquiramus, duo verborum genera distinguenda sunt, unum eorum, quæ servarunt, alterum eorum, quæ deposuerunt localem illam, ut ita dicam, notionem, quam propter vim inhaerentis præpositionis in omnibus primitus fuisse sumendum est. Quando autem aut quæ verba huic vel illi generi annumeranda sint, difficillimum sæpe est ad discernendum, quum eorum plurima in maxime varias significationes abierint. Sed huius alterius quidem generis verba hoc loco statim omittamus, quum omnia fere — et transitiva et intransitiva — eiusmodi sint, ut aut ad formulam "est mihi aliquid" revocari possint, aut "auxiliandi, nocendi, favendi" cet. notionem induerint, aut dativus iis subiectus, quid aliquis in agendo sequatur quidve expetat, universe indicet. Ea porro verba, quibus localis quædam significatio servata est, aut motum aut quietis statum motum subsequentem significant. Atque omnino dativus usurpatur, si quæritur, quo quis tendat aut in quo loco vel prope quem sit, quum aliquid agat. Neque tamen dativus ipse locum significat; hanc significationem e verbis demum, quibuscum coniungitur, quodammodo recipit.[1] Sed vera atque propria eius casus vis et potestas ea est, ut indicet quo verbi actio spectet quove se referat. Quod vel optime agnoscitur in aliquot verbis a poetis inventis, quæ locali sensu prædita non sunt, velut *adfremere, adgemere, adstupere, adtremere, indubitare, intersonare*, alia, quæ e dativo suo quasi supplementum quoddam acquirunt. Quid autem inter dativum et accusativum verbis movendi appositum intersit, paucis supra[2] demonstravi, neque quidquam habeo quod addam. Cave tamen obliviscaris dativi usum mirum quantum apud poetas increbruisse, cuius rei causam ex ipsa eius vi et na-

[1] Cfr Haase l. c. II p. 126. [2] Cfr p. 57 sq.

tura vulgo repetunt, quum mutuam et quasi personalem inter subiectum et obiectum intercedere rationem illo casu significari existimant, ita ut obiecto quoque actio quædam tribuatur.[1] Res inanimas vero velut animantes tractare poetarum, omnia quasi agantur oculis subiicientium, præcipue proprium est. Id unum denique addo inter verba dativum regentia tria (*accipere*, *includere*, *invitare*) a me esse relata, quæ ablativum modo (vel præpositionem) assumunt, quia eorum notio eadem est atque ceterorum, quæ cum *ad* et *in* composita sunt. — Transeamus iam ad verborum exempla enumeranda. Incipiunt autem hæc verba a præpositionibus (*ab*, *de*, *ex*,)[2] *ad*, (*circum*,)[3] *cum*, *in*, *inter*, *ob*, *post*, *præ*, *pro*, *sub*, *super*.

adcantare verbum nisi apud Statium non invenitur:[4] Silv. IV, 4, 55 *tumulis adcanto magistri*.

accipere verbum semel sequitur 1) *in:* Val. I, 619 *puppis in obliquum latus accipit ictus*. De VI, 258 vid. s. v. *accedere*. Reliquis locis 2) ablativus: Val. I, 217 *ratem mari*. IV, 487 *mediis tapetibus ipsum*. VI, 202 *latere hastam*. VI, 520 *verso vulnera tergo*. St. Silv. I, 4, 32 *exuvias tholo*.

accire St. Silv. III, 1, 108 *mensis accita deorum turba*.

adclinare St. Silv. IV, 2, 51 *strato latus leoni*. Th. III, 266 *pectora summo iugo*. VI, 105 *adclinant cacumina terrae* (alnus—ulmus).

accommodare Val. III, 423 *se horrificis actis*.

adcrescere Val. I, 178 *fraternae famae*. "in tuarum laudum communionem venire" Lemaire. Proprio sensu verbum usurpatum est: St. Th. IV, 355 *gremio adcrescere natos*. *gremio* dativum intellexisse videtur Bindewald, qui ita vertit: "die armen den Schooss ihr umspielenden Kleinen." Neque dubium est, quin res ita accipi possit; sed tamen ablativum præferendum puto. Cfr Tac. de or. 28 *gremio ac sinu matris educabatur*, ubi editores *in* præpositionem in textum inseruerunt.

---

[1] Cfr Kuehner l. c. II § 75, 2. Vid. etiam P. I. Petersson, de Syntaxi Virgiliana. Upsal. 1853 p. 22.

[2] Cfr p. 17 sq. [3] Vid. infra cap. VII.

[4] Grosse hoc verbum prætermisit; itemque *adfrangere*, *adsibilare*, *interplicare*.

accurrere St. Th. III, 410 *cui* (Soli) *turba profundi Nereos et rapidis accurrunt passibus horae.*

addere verbi principalis significatio (cfr Jahrb. f. class. Philol. 125 (1882) p. 467), iuxta ponere, adiungere, adhibere, manifesto deprehenditur: Mart. IX, 17, 5 *addidit et nitidum sacratis crinibus orbem.* Eademque notio his quoque locis verbo subesse videtur: Val. V, 285 *quibus addimur armis?* St. Ach. I, 665 *magno nurus addita ponto.* I, 669 *addere furtis altricem sociam.* Th. II, 579 (intorquet) *iacula* (et) *fugientibus addit.* IV, 426 *nemori Latonia cultrix additur.* VIII, 184 *miseris comes additus armis.* Mart. VII, 27, 8 *Falerna garo.* IX, 3, 12 *Latio Flavia templa polo.* X, 24, 5 *focis acerram.* X, 26, 6 *tura rogis.* T *focis.* Translate adhibitum verbum variis obiectis adiungitur eodem sensu quo afferre, iniicere, incutere: Val. I, 271 *omnibus inde viae calor additus.* Pro *inde viae* V *indeme*, unde Sandstroem (Emend. p. 24) *inde idem.* III, 429 *metum numenque loco sacramque quietem.* VI, 181 *sese Fuga mentibus addat.* St. Silv. II, 6, 75 *oculis nitorem.* Ach. I, 435 *mucronibus iras.* II, 141 *tacitis spes addita votis.* Th. I, 179 *sociis hanc mentem.* II, 320 *mortalibus addita cura.* III, 103 *tuis famam virtutibus addam.* III, 217 *decus morti.* III, 472 *pernicibus alis consilium.* IV, 12 *timidis brevis addita virtus.* V, 33 (miserae,) *quibus hic furor additus.* VI, 925 *tumulo supremum hunc addere honorem.* VII, 692 *famulo decus addit inane* (Apollo). VII, 283 *rebus opem.* X, 629 *stimulos et pulchrae gaudia mortis iuveni.* XI, 322 *tantum miserae dolor ultimus addit robur.* XI, 347 *moram sceleri.* XII, 95 *longos sensus corporibus.* XII, 467 *flentibus honorem.* Mart. XIII, 3, 7 *addita per titulos sua nomina rebus.* T mendose *cadit per titulos.* Ex alia præpositionis *ad* notione verbum *addere* accipit significationem adiiciendo augere. Ad rem autem significandam, quæ accessione alqa augetur, sequitur 1) præpositio a) *ad*: Mart. X, 48, 18 *pullus ad haec caenisque tribus iam perna superstes addetur.* b) *super* sequente α) accusativo: Mart. XI,

26, 5 *addideris super haec Veneris si gaudia vera.* β) ablativo: Val. VIII, 19 *super omnibus addidit ensem.* St. Th. V, 128 *patremque super spirantibus addam*, ubi pro adverbio (= *insuper*) etiam accipi potest. Cfr tamen Horat. Od. I, 9, 5. Sat. II, 6, 3. P exhibet *simul.* 2) dativus: Val. I, 825 *te tuis.* IV, 417 *Io divis addita.* V, 84 *addita fretis freta.* St. Th. I, 22 *tuque Latiae decus addite famae.* XI, 706 *te luctibus.* Mart. I, 101, 4 *quarta tribus lustris messis.* IX, 101, 6 *addidit Arcadio terga leonis apro* (Hercules). XIV, 115, 1 *quibus addere plura.* Omissa re, cui alqd additur, adhibetur dativus ad indicandum, cuius vel commodo vel incommodo alqd addatur: Val. V, 544 *ceu nihil aequore passis additus iste dies.* Baehrens nescio qua de causa *iste* ad *labor* (v. 542) referens pro *dies* scripsit *quies.* St. Th. VIII, 301 *deae sua munera.* Mart. VIII, 3, 3 *nihil addere nobis Fama potest.* X, 24, 6 *roganti annos.* X, 98, 1 *addat cum mihi Caecubum minister*, ubi præpositionis vis pæne omnis evanuit. Cfr Horat. Od. III, 19, 9.

aderrare verbum novatum St. solus adhibuit (Cfr Grosse l. c. p. 28.) 1) proprie: Silv. II, 2, 120 *scopulis delphines.* 2) translate: Th. IX, 178 *ululatus auribus.*

adesse 1) = iuxta vel prope esse, in loco alqo esse sequitur dativus a) personæ: Val. I, 180 *paratis adero* ex edd. ψ scripsit Thilo, vertitque Wunderlich "und flugs den Bereiten nah' ich". V *paratus.* II, 189 *laetaeque viris venienbus adsunt.* II, 377 *quid et ipse viris cunctantibus adsit.* Hæc verba num Valerii sint, vehementer dubitat Thilo. Ph. Wagner (Jahrb. f. class. Philol. 89 (1864) p. 390) scribendum censet *quin et — infit.* Sed nescio, quid Wagnerus particulam illam *quin* significare velit, cui hic locus non est. V, 401 *Aeetae ne nuntius adsit.* VIII, 232 in libris legitur: *adsunt unanimes Venus hortatorque Cupido suscitat adfixam maestis Aeetida curis.* Coniectura Meynckii *unanimis* recepta Baehrens pro *adsunt* scripsit *adfuit.* Retineri tamen debet illud *adsunt.* Nam Koestlin (Philol. 39 (1880) p. 453) versibus 232 et 233 inter se

transpositis virgula post *Hebe* interpungens optime sensum restituit, quem germanice ita exponit: "Schön wie der liebende Ares, wie der olympische Herakles im arme der Hebe erweckt Iason die Medea aus ihrem trübsinne; hülfreich und ermunternd zur seite stehen den liebenden beiden (*unanimis*) Venus und Cupido". Continuatur igitur comparatio usque ad *suscitat*, cuius subiectum est *Iason.* St. Silv. I, 6, 7 *Saturnus mihi et December et Iocus et Sales adsint.* Th. V, 246 (premunt) *aderuntque moranti.* b) rei: Val. IV, 36 *caelo mox aderis.* V, 273 *urbi.* St. Th. V, 361 vid. s. v. *abesse.* = prope esse, imminere sequente dativo vel personæ vel rei: St. Th. II, 361 *aderit lux illa tibi.* VI, 96 *aderat miserabile luco excidium.* IX, 661 *finis adest iuveni.* Mart. IV, 54, 4 *extremumque tibi semper adesse putas.* 2) Imminuta vi præpositionis verbum idem fere significat quod simplex in formula illa "est mihi aliquid": Val. IV, 111 *forma viris praestantior adsit.* V *adfit.* St. Silv. III, 4, 24 *maximus aegris auxiliator adest.* Th. I, 213 *pondus verbis.* Mart. I, 6, 6 *summus utrisque auctor.* 3) = interesse, participem esse: Val. III, 292 *colloquiis.* VIII, 49 *di nostris vocibus adsunt.* St. Silv. III, 3, 6 *mitibus exsequiis ades* (Pietas). III, 3, 12 *adeste dique hominesque sacris.* Th. IX, 727 *extremo morientis honori.* 4) = favere, iuvare: Val. IV, 34 *aderunt tua numina matri.* IV, 652 *deus adfuit ausis.* VII, 443 *sola tibi in tantis casibus adsum.* St. Silv. IV, 8, 61 *bonis invicti Caesaris adsint numina.* Ach. I, 544 *mihi quis vatum — adsit* (fata videre prior). Libri *ausit*, quod a Queckio retinetur; *adsit* lectio a Baehrensio recepta Schradero debetur. Th. IX, 548 *ades o mihi dextera.*

adferre verbo 1) præpositionem semel adiunxit Mart.: XII, 29, 21 *ad cenam Hermogenes non attulit mappam.* Alias semper sequitur 2) dativus a) proprio sensu α) rei: St. Silv. III, 1, 74 *Libyae Saturnia nimbum attulit.* Ach. I, 674 *plenis stata tempora metis attulit Lucina*, ubi *plenis metis* pro ablativo absoluto habere fortasse mavis. Th. VIII,

411 *Libyae Boreas Italos imbres.* β) personæ: St. Th. IV, 101 *huic adfert belli fama viros.* VIII, 628 *sponsum mihi sopor attulit.* XI, 320 *promissum saevo caput adlatura Lyaeo.* Mart. IX, 87, 3 *mihi tabellas.* X, 48, 8 *mihi vilica malvas.* b) translate de nuntiis alqd afferentibus: Val. III, 172 *ignaris dirum scelus attulit umbris.* De animi affectu: St. Silv. I, 2, 46 *quae causa toros inopinaque gaudia vati attulit.* Libri *vatis.* Th. I, 409 *ambobus rabiem fortuna cruentam.*

adfigere 1) proprie: St. Th. VII, 636 *labentem equo.* X, 637 *polis ignes.* XII, 768 *missile summo adfixit clipeo.* Queck in libris quibusdam *adflixit* scriptum esse docet. 2) translate: Val. VIII, 233 *adfixam maestis Aeetida curis.* St. Th. II, 192 *adfixi animo dolores.*

adfingere St. Silv. II, 1, 150 *nil veris adfingo bonis.*

adfrangere verbum a Statio novatum apud Sidonium redit: Silv. V, 1, 36 *Achilleis hiemes adfrangere bustis.* Th. X, 47 *duris adfrangunt postibus ungues.* V, 150 *plenis adfrangere parvos uberibus.* "mit Gewalt andrücken" Klotz (lex. s. v.). Melius rem intellexit Barth, "frangere ad ubera" explicans i. e. pueros lactentes trucidare, quod desiderat sententiarum nexus.

adfremere verbum apud Silium iterum occurrit: Val. I, 528 *adfremit his* (bellipotens).

adfundere verbi passiva forma legitur: St. Th. III, 686 *magnoque adfusa parenti est.*

adgemere verbo ab Ovidio invento bis usus est St.: Th. XI, 247 *uterque loquenti adgemit.* Translate: VI, 112 *migrantibus silva.*

adhaerere 1) proprio sensu: St. Th. IV, 727 *cruor aeger adhaeret visceribus.* V, 526 *pronus adhaeret humo.* 2) translato: Mart. V, 61, 1 *Crispulus uxori.* St. Ach. I, 570 vid. s. v. *inhaerere.*

adhibere 1) *in* præpositio: St. Silv. V, 3, 83 (quas inferias præmittit olor — quod volucres nautis minantur) *in patrios adhibebo rogos.* 2) dativus: Mart. VI, 57, 3 *tonsorem capiti.* = advocare, invitare: Val. III, 412 *socios adhibere*

sacris armentaque deis, ubi verbum ad *armenta* per zeugma, quod vocatur, proprio sensu refertur. St. Th. IV, 630 *illum sacris nefastis.*

adiacere Val. II, 192 *sua cuique coniunx adiacet.*

adigere St. Th. I, 19 *bisque iugo Rhenum bis adactum legibus Istrum*, ubi dativum accipit Klotz (lex. s. v.) interpretans: "zu den ihnen von den Römern dictirten Unterwerfungsbedingungen zwingen". De ablativo quoque cogitari potest. Cfr "iure iurando alqm adigere". Infinitivus verbum sequitur: Th. IV, 531.

adiicere Val. VIII, 41 *hoc tantis muneribus tuis.* St. Ach. I, 168 *quantum gaudia formae adiciunt.* Th. VII, 4 (proclamat) *adici cervicibus* (Atlas). Mart. IV, 54, 9 *nil penso Lachesis.* X, 82, 1 *si quid nostra tuis adicit vexatio rebus.*

adiungere verbi passiva forma invenitur: Val. II, 421 *tuis adiungier armis.*

adlabi Val. III, 43 *notis vadis* (ratis). St. Silv. III, 2, 37 *Glaucus patriis adlabitur oris.* Th. II, 90 *Cyllenius regis stratis adlapsus.*

admittere verbo semel appositus est 1) dativus ad finem, quo tenditur, indicandum: St. Ach. I, 594 *admissum caelo nemus.* Reliquis locis sequuntur 2) præpositiones a) *ad:* St. Ach. II, 414 *me ad oscula.* b) *in:* Silv. V, 1, 193 *Elysias admittar in oras.* c) *inter:* Mart. III, 93, 15 *te balneator admittat inter bustuarias moechas.* d) *intra:* Mart. V, 6, 7 *chartam intra limina.*

admovere 1) de motu locali: Val. III, 502 *Perses aciem urbi.* St. Silv. V, 3, 26 *septem montibus Baias.* IV, 8, 31 *admovere iubar mediae duo sidera lunae.* Ach. II, 193 *Ulixes admotus lateri.* Th. VIII, 35 *quis* (rumpit tenebras) *vitaeque silentes admovet?* Mart. IV, 64, 9 *puris leniter admoventur astris celsa culmina delicatae villae.* 2) translate a) dativus personæ: St. Ach. I, 568 *novas nil tale timenti insidias.* Th. VIII, 376 *fatalem populis horam admovet atra dies.* b) rei: St. Silv. V, 1, 110 *ingentibus actis admotus coniunx.* Ach. I, 258 *extremis admota pe-*

ricula metis. Th. XII, 679 *Antigonen viduamque Creon Adrastida leto admovet.*

adnatare St. Th. VII, 97 *adnatet umbra Lechaeo.*

adnectere St. Silv. III, 2, 27 *summis sipara velis.*

adniti verbi participium cum casu coniunctum invenitur: St. Th. II, 525 *adnixi iaculis*, quem dativum accipi oportet. Cfr Verg. Aen. XII, 92 *hasta adnixa columnae.* Simplex verbum sequitur ablativus: Th. IV, 582. *in* præpositio: Th. V, 19. VII, 802.

adnubilare St. Silv. V, 1, 149 *velis adnubilat aura secundis.* Verbum iterum non reperitur nisi apud Ammian. Marcell., qui transitivam vim ei subiecit. Cfr Grosse l. c. p. 29.

adnuere verbum usurpatur 1) intransitive sequente dativo a) personæ: Val. VI, 461 *adnue vera fatenti.* St. Silv. V, 1, 15 *Apollo quique venit iuncto mihi semper Apolline Caesar adnuat*, ubi verbum fortasse absolute positum est, ut dativus ad *venit* referri debeat. b) rei: Val. II, 294 *adnue votis.* St. Th. II, 719 *huic sacro.* Huc pertinet etiam: X, 135 *ille* (Somnus) *deae iussis dubium mixtumque sopori adnuit*, ubi accusativi illi adiectivorum adverbii locum obtinent. Cfr quæ de adiectivis neutri generis ita positis disputat Petersson l. c. p. 17. Vid. etiam Haase l. c. II p. 57. 2) transitive: Val. I, 41 *hanc mihi militiam adnue.* II, 94 *reduci pater adnuit arces.* Cur Baehrens *reduci*, quod libri præbent — V mendose *rudici* —, in *rursus* mutaverit, nullam causam video. Nam *reduci* ad *deo* optime referri luce clarius est. V, 258 *Medea adnuitur thalamis Albani tyranni.* St. Silv. I, 2, 212 *dulcia dominae conubia vultus adnuit.* IV, 1, 47 *longam tibi iuventam Juppiter.* Ach. I, 546 *adnuat illa virgo tibi.* Accusativi loco positus est infinitivus: St. Silv. IV, 2, 59. Th. II, 688.

adnumerare 1) = in eundem numerum referre: St. Th. X, 28 *Arcada belligeris tropaeis.* Mart. Sp. 4 b, 2 *haec impensis principis.* 2) = numerando tribuere, assignare a) proprio sensu: St. Th. IV, 529 *dominisque silentes adnumerat populos* (Mors). Sic editores Heinsium secuti, ex-

cepto Muellero, qui librorum scripturam *dominique* retinet. XII, 152 *umbrarum custos inhumata corpora regi adnumerat.* Mart. II, 8, 4 *versus tibi.* XI, 41, 8 *nobis pecus.* b) translato: St. Th. I, 689 *casus priorum tibi.*

adoptare 1) = sibi assumere sequitur dativus: Mart. IV, 31, 9 *gratum Musis tibi nomen adopta.* 2) ad rem significandam, cuius particeps fit is, qui adoptatur, posita est *in* præpositio: St. Th. VII, 259 *regis in nomen adoptant* (Dryantem).

adpellere 1) transitive: Val. II, 559 (maxime Graiugenum,) *quem adpulit his fors ipsa locis.* IV, 484 *vos deus adpulit oris.* 2) intransitivorum more usurpatur et de navi: Val. II, 446 *puppis harenis*, et de navigante: V, 277 *dux Thessalus adpulit oris.* Eodem sensu absolute: III, 536.

adplicare Mart. VI, 28, 9 *bis senis messibus puer unum adplicabat annum.*

adportare verbum sequitur 1) dativus: St. Th. VII, 397 *matribus agnas.* VIII, 741 *caput o mihi si quis adportet, Menalippe, tuum.* 2) *in:* St. Th. V, 134 *deus hos* (maritos) *deus ultor in iras adportat* i. e. ad nos iratas. Præpositione addita significatur etiam, quem ad finem alqd apportetur: Ach. I, 725 *tubam tacitos adportat in usus.*

adridere 1) proprio sensu: St. Ach. II, 390 *visis feris.* Mart. VI, 44, 3 *omnibus.* XI, 45, 2 *seu puer adrisit sive puella tibi.* 2) translato: St. Th. X, 120 *tenebrosa Tempe adrisere deae.*

adsciscere St. Silv. II, 2, 136 *colonis adscite meis.* V, 3, 126 idem substantivum.

adsibilare verbum apud St. primum invenitur et quidem transitivo sensu usurpatum: Th. V, 578 *animam adsibilat aris* (serpens) i. e. cum sibilo ad aras emittit. Intransitive adhibitum verbum redit apud Claudian. et Auson.

adsignare translate usurpatum pro eo quod est tradere, committere legitur: St. Silv. III, 2, 49 *Paraetoniis adsignet carbasa ripis* (Zephyrus).

adspirare 1) = quasi spiritu contingere, appropinquare: St. Th. IV, 361 *urbibus belli rabies.* Sandstroemio totum illud

simile, in quo hæc verba leguntur, suspicionem movit. Vid. Stud. crit. p. 46. Eodum sensu absolute: Val. VII, 585. 2) = favere: St. Th. XII, 197 *pio fortuna labori.*

adstare et *adsistere* verba quoniam commune habent inter se praeteritum, ad utrum verbum referri debeat *adstiti*, plerumque dubitabis. Adiungitur autem verbo *adstare* 1) dativus: Val. II, 416 *adstabat mensis puer.* St. Silv. V, 3, 17 *dux ipsa adstitit, Hebre, tibi.* 2) *prope* præpositio: St. Th. V, 316 *prope maesta rogum adsto.* His locis, ubi præteriti forma legitur, imminuta est vis præpositionis, ut verbum tantum fere valeat quantum simplex *stare* (vel *sistere*), ideoque coniungitur cum ablativo: St. Th. IX, 607 *limine divae.* IX, 680 *vertice Latonia montis.* Ablativum intelligo etiam: Th. IV, 679 *adstitit arvis* (Liber). Restat: Val. II, 236 *adstantque domos*, ubi Baehrens hoc verbum in textum inseruit. Libri habent *adduntque.* Thilo, Iacobsium laudans, edidit *adduntque rogos.* Lenissima mutatione Koestlin (Philol. 39 (1880) p. 245) scriptum vult *adeuntque.* De Val. I, 302 vid. s. v. *instare.*

adstringere St. Th. III, 446 *motos capulis adstringeret enses.* "und das zuckende Schwert zurück in die Scheide zu stossen" vertit Bindewald, auctoritate Barthii nimirum confisus, qui "capulos pro vaginis habendos" in enarrationibus codicis cuiusdam se vidisse profitetur. Ipse tamen Barth "coniectura substituit *scapulis*, testem suo more producens codicem illum vetustissimum". Sed neque vocabulum *capulus* usquam pro *vagina* positum reperitur[1]), neque probabilis est, ut adnotat Mueller, cuius verba modo laudavi, Barthii coniectura. Nam *adstringeret* verbum absolute dicitur eodem modo quo Th. IX, 539 *adstrictis accedunt comminus armis*, ubi de gladiis in vagina reconditis potissimum cogitandum videtur. Cfr "gladium stringere, stringere". *capulis* ergo pro ablativo respiciendi habeo ad *motos* relato.

---

[1]) Neque tamen originatio ipsa vocabuli huic significationi obstare videtur, quum *capulus* sit a *capiendo.* Th. III, 362 in plerisque libris hoc vocabulum legitur eadem significatione usurpatum qua *feretrum.* Cfr Lachmann ad Lucret. II, 1173.

adstruere sensu translato: Mart III, 20, 4 *quae Neroni falsus adstruit scriptor.*

adstupere St. Th. III, 406 *fida manus proceresque socerque adstupet oranti.* Sine casu: II, 13.

adsuescere verbum 1) transitive usurpatum est: St. Th. IV, 655 (Liber) *orgia ferre Getas canumque virescere dorso Othryn et Icaria Rhodopen adsueverat umbra.* Lemaire *umbra* ablativum a *virescere* verbo audito pendere existimat; sed referri debet ad *adsueverat.* Cfr Lucan. V, 776 *adsuescis fatis tantumque dolorem me ferre doces.* Eadem verbi simplicis constructio exstat: Tac. Ann. II, 52. Ceteris locis 2) intransitive incerta casus forma positum est: Val. V, 515 *his Lapithes adsuerat eques.* St. Th. II, 443 *pectora vulgi adsuevere iugo.* Mart. XII, pr. 8 (civitatis aures,) *quibus adsueram.* Participium *adsuetus:* Val. VII, 124 *toris.* Apposito dativo significatur, cui alqd suetum atque usitatum sit: St. Th. VI, 707 *adsuetum dextrae gestamen.* P *certamen.* Eundem sensum agnosco: Val. VIII, 201 *adsuetum plaustris migrantibus aequor.*

adsumere St. Th. VIII, 11 *coetibus functis.*

adtremere verbum a Statio novatum apud Sidonium recurrit (Grosse l. c. p. 29): Th. III, 309 *caelumque fretumque oranti.* VIII, 81 *regia tristis oranti.*

advehere St. Th. I, 503 *tu mihi advehis fidem.* Subiungo

advectare frequentativum: Val. IV, 106 *advectet tibi ratis pabula dira.*

adventare 1) dativus personæ: St. Th. I, 397 *cui* (Adrasto) *generos adventare.* 2) rei: XI, 202 *illum adventare ferunt portis.*

adverrere St. Th. IV, 203 *aris adverrere crines.* P *avertere;* reliqui *advertere.*

advertere 1) proprio sensu: St. Th. I, 89 *dicenti diva severos advertit vultus.* II, 138 *illi* (aurorae) *seras advertit flammas* (Lucifer). XII, 298 *lunaribus obvia bigis advertit currum,* ubi cum *obvia* dativus fortasse arctius coniungitur. 2) translato: St. Silv. III, 2, 3 *placidumque advertite votis concilium.* Mart. VI, 64, 8 (nugas,) *quibus aurem adver-*

tere. Intransitive adhibitum idem verbum valet quod appellere; Val. IV, 733 *advertit puppis harenis.* Participium *adversus*, quod adiectivi induit naturam, adnotavi: Val. IV, 659 *adversa saxis saxa.* Cui subiicio

adversari Val. II, 18 *monstra caelo adversata.* De St. Th. VIII, 558 vid. s. v. *aversari.*

advigilare St. Th. I, 147 *regum advigilantia somnis pila.*

advivere St. Th. XII, 424 *tenuem nigris advivere lucem roboribus.*

advocare Val. VI, 287 *patrias coeptis advocat umbras.*

advolvere St. Silv. V, 1, 73 *cunctis advolveris aris.* Th. V. 143 *advolvitur astris clamor.*

conciliare 1) = parere, afferre: Val. IV, 29 *in arces Iovis accessus et iam mihi lumina caeli conciliat* (Nympha). Bonon. *limina*, quod Heinsio, Burmanno, aliis magis placuit. Sed quum illud *limina* vel *lumina caeli* idem valeat quod *in arces Iovis accessus*, Baehrens scriptum vult *numina.* St. Th. IX, 450 *tacitas Asopos eunti conciliat vires.* 2) = benevolum reddere, coniungere: St. Th. IV, 80 *melior quos causa querenti conciliat.* Mart. XII, 52. 14 *tibi dominam conciliavit amor.* 3) = commendare: Val. I, 794 *me hostia vestris conciliet praemissa locis.* St. Silv. I, 4, 3 *videt alma pios Astraea Iovique conciliata redit* Barthio praeeunte edidit Queck. Libri *conciliata cadit*, quod nihil est. Optime mihi locus expediri videtur emendatione Hopfii a Baehrensio recepta *conciliat! vivit* cet. V, ep. 7 *pietas nulli non conciliare te potest.* V, 2, 59 *haec tibi.* Th. II, 229 *pars virginibus foedera nova.* VIII 334 *caelo et vera monentibus aris concilies* (sc. nos). XI. 654 *hunc Menoeceus populis.* XII, 467 *coetum gementem populis.*

concurrere Val. III, 512 *Phrygiis monstris.* IV, 155 *isti monstro.* V, 415 *proram concurrere saxis.* VI, 25 *ignotis.* St. Silv. I, 2, 39 *Stygiis monstris.* Th. X, 902 *nobis.* XI, 185 *fratri.* Translate: Th. II, 510 *dictis inexplicitis.*

conferre 1) = comparare: St. Th. VII, 731 *tibi collatus*

divum sator. 2) = addere, afferre: St. Silv. III, 3, 42. Ach. I, 284. Mart. VII, 53, 2.

coniungere Val. VI, 450 *tremendam duci Achivo.* VI, 732 *nobis vires.*

coniurare St. Ach. I, 36 *plaga Graiugenum coniurat Atridis,* ubi dativum, quamquam pro dativo commodi accipi potest, idem significare puto quod *cum Atridis.* Errat Draeger, quum de hoc verbo dicit (l. c. I § 185, 3): "nur bei Plautus mit cum, sonst absolut." Adiecta est enim *cum* præpositio: Liv. XXXIV, 11, 7 et XXXIX, 16, 5. Transitive verbum adhibetur: St. Th. V, 163. Cfr verbum simplex IV, 397.

committere 1) *cum* præpositio: Mart. VII, 24, 1 *cum Martiale me committere temptas.* VIII, 6, 7 *commisit proelia Rhoecus cum Lapithis.* 2) dativus = tradere, concredere: Val. I, 413 *Ancaeum ponto.* VI, 491 *virgo commissa sorori.* St. Silv. III, 2, 6 *iuvenis committitur alto.* III, 3, 95 *uni ministro.* Ach. I, 385 *cui* (telluri) *pignora depositumque ingens.* II, 322 *furta latebris.* I, 39 *cunabula parvo Pelion et torvi commisimus antra magistri* per inversionem dictum est pro *parvum Pelio et antris.* Cfr adnot. Forbigeri et Ladewigii ad Verg. Georg I, 430. Similis est inversio: Th. I, 149 *mero committere gemmas.* V, 283 *patrem profundo.* XII, 493 *nulli commissa metallo forma deae.* Mart. XI, 74, 1 *penem medico.*

conectere St. Silv. I, 4, 120 *conexa carinae cymba minor.* II, 4, 12 *conexus ebori virgarum ordo.* Th. VI, 16 *Argos caelo.* Imminuta vi præpositionis idem fere significat atque verbum simplex: Val. IV, 334 *tempora lauro.*

comparare Mart. III, 93, 6 *rictibus tuis comparata ora angusta.* V, 37, 12 *cui* (puellae) *comparatus pavus.* T *pano.* X, 19, 17 *hoc Arpinis chartis.*

componere 1) proprio sensu: Val. VI, 326 *bracchia remis.* 2) = comparare: St. Silv. I, 5, 61 *magnis parva.*

conserere Val. II, 617 *conserta gentibus arva.* "olim iisdem gentibus habitata" Lemaire. St. Th. VII, 637 *ille* (equus) *consertus domino.*

contendere 1) dativus: St. Silv. I, 3, 101 *Pindaricis plectris.* 2) *cum:* Mart. VII, 42, 1 *tecum.*

contexere St. Th. V, 484 *polo contexere visa est aequor* (lux).

contingere verbum adhibitum est 1) personaliter: Val. I, 377 (frater maluit) *Ancaeo vellus contingere Phrixi.* VI, 677 *cui* (patri) *hospes contigit.* St. Silv. I, 3, 49 *dignas digitis contingere gemmas*, ubi Madvig (advers. crit. p. 157) verbum transitivum intelligens *digitos* mutavit. Th. X, 633 *terrisque solet contingere virtus.* Mart. VI, 59, 1 (queritur) *sibi non contingere frigus.* VIII, 45, 5 *continget nox quando meis tam candida mensis?* VIII, 52, 3 *cui* (Thalamo) *Drusorum contigere barbae.* X, 63, 7 *mihi gloria rara.* XI, 1, 8 *tibi manus minores.* XII, 6, 1 *contigit Ausoniae procerum mitissimus aulae.* Pronomen neutri generis subiectum est: Mart. VIII, 8, 5 *Latiae quod contigit urbi.* IX, 51, 2 *hoc tibi contigit.* 2) impersonaliter sequente infinitivo: St. Ach. I, 322. Mart. IV, 54, 6. VI, 83, 8. IX, 23, 1. IX, 39, 6.

incidere verbum sequitur 1) dativus a) = in vel supra cadere, se in alqd immittere, inferre: Val. III, 94 *quibus illa fretis, quibus incidit arvis* (nubes). IV, 404 *oblato profundo incidit* (Io). St. Th. V, 234 *illa* (Lycaste) *iacenti incidit.* VIII, 1 *subitus vates pallentibus incidit umbris.* b) = obviam fieri, in alqd incurrere: Val. III, 592 *miserae, quibus ille* (Tirynthius) *ferae, quibus incidit viris.* Pro *viris* Schenkl, quem Baehrens secutus est, scripsit *viri*, quod vocabulo *ferae*, quod præcedit, commendatur. IV, 744 *idem quibus incidit hostis.* St. Th. VII, 132 *amentibus ipse incidit.* Eodem fere sensu 2) *in* præpositio: St. Th. VIII, 486 *in Buten.* Mart. II, pr. 14 *in hunc librum.* III, 46, 5 *in turbam.* XI, 95, 1 *in basia fellatorum.* 3) ablativus: St. Th. II, 581 *nudo ne pectore tela inciderent.* P (unusque alius) *in pectore.* De ablativo vid. p. 69 s. v. *subire.* — De animi affectu a) dativus: Val. VII, 393 *stabulis gregibusque pavor strepitusque sepulchris inciderat.* St. Th. I, 3 *Pierius men-*

ti calor incidit. b) *in,* ubi subiectum persona est: Mart. I, 62, 5 *incidit in flammas* (sc. amoris) *Laevina.*

includere verbo semel apposita est *per* præpositio: St. Silv. IV, 6, 35 *finesque inclusa per artos maiestas.* Alibi semper verbum assumit ablativum: Val. IV, 372 *inclusa pectore verba.* St. Silv. IV, 4, 11 *inclusa modis verba.* Th. VI, 486 *numquam hunc animum natura minori corpore nec tantas ausa est includere vires.* X, 275 *galeis inclusa murmura.*

incurrere verbi præpositio geminata est: Mart. I, 8, 3 *strictos in enses.* Sequitur dativus: St. Th. I, 376 *scopulos incurrere prorae.*

incurvare verbi participium cum dativo iunctum invenitur: St. Silv. II, 3, 3 (arbor,) *quae robore ab imo incurvata vadis.* Libri *curvata,* unde Queck Domitium secutus *curvata in nodos* scripsit. *incurvata* coniectura Italorum a Baehrensio recepta est, et *vadis* adnotatione Politiani defenditur.

incutere St. Th. III, 445 *gentibus stimulos.*

indubitare verbum a Vergilio inventum post Statium non reperitur (Grosse l. c. p. 30): Silv. III, 5, 110 *tuis moribus indubito.*

inducere verbi præpositio iterata est: Val. I, 848 *has pater in sedes aeternaque moenia natum inducitque nurum.* Sequitur dativus: Val. II, 132 *toris Thraessas.* St. Silv. IV, 3, 8 *montibus caesis inducit Nero sordidas paludes.* Ach. I, 125 *pauperibus tectis* (Nereidem). I, 548 *castris Achillem.* Th. II, 200 *patriis reduces regnis.* XII, 326 *moenibus* (Argiam). XII, 465 *muris Iuno matres.* Translate: Th. IV, 710 *magnum messibus annum.* Pro *induere* verbo positum accusativum cum ablativo sibi adiungit: St. Silv. V, 2, 67 *humeros amictu.* V, 2, 179 *ora casside.*

inerrare St. Silv. I, 5, 58 *ignis aedibus.* Th. IV, 793 *nemorique* (malorum inscius) *inerrat* (puer). Queck editoresque vulgo *nemoris.* Veram lectionem, quam P (et Bamb.) exhibet, restituit Mueller. X, 292 *augur inerrat caedibus Aoniis.*

inesse 1) = in loco alqo esse: Val. V, 402 *inerat populo*

mediaeque urbi. 2) — in alqa re esse, adesse et proprie et translate: Val. III, 681 *calor et rude membris robur inest.* VI, 62 (Auchus,) *cui candidus crinis inest.* St. Ach. I, 165 *plurima vultu mater inest.* I, 298 *gemmis lux maior.* Th. III, 137 *terror lacrimis.* IV, 66 *non unus maniplis mos neque sanguis inest.* Mart. I, 109, 14 *inest pudor catellae.* VIII, 18, 3 *tibi respectus amici.* XII, 74, 4 *geminus vilibus usus inest muneribus.* XIV, 88, 1 *femineam nobis* (gustatoriis) *si credis cherson inesse.* XIV, 145, 1 *is mihi* (pænulæ) *candor inest.*

inferre 1) verbi præpositio bis geminata est a) proprio sensu: St. Th. VII, 698 *medios infertur in hostes.* b) translato: Silv. II, 1, 54 *cuncta in cineres gravis intulit hora hostilisque dies.* Alias semper sequitur 2) dativus: Val. I, 281 *iuvenem intulit undis vector.* I, 487 *ille se mediae carinae.* II, 565 *socios moenibus.* II, 632 *intulit arva vadis* (terra). III, 456 *aris dapes.* IV, 83 *fluctibus lintea.* V, 456 *se penetralibus.* VII, 372 *noctique infertur opacae.* St. Silv. III, 1, 28 *genium templis.* III, 2, 22 *terris Dicarcheis Pharium intulit annum* (ratis). IV, 2, 2 *Aenean Laurentibus arvis.* Cfr Th. II, 727 *patriis arvis inferar.* I, 201 *mediis sese deis* (Iuppiter). I, 386 *reclusis infertur portis.* II, 119 *Cadmo* (i. e. Thebis) *dominas Mycenas.* II, 560 *saxum muris.* P *duris.* V, 241 *thalamis inferor.* V, 714 *iuvenes Nemeae.* VIII, 751 *suem Argis.* Translate: Val. II, 217 *heu vatem monstris quibus intulit ordo!* Locutio illa "bellum inferre alicui" deprehenditur: Val. V, 419 *Sesostris intulerit rex bella Getis.*

infligere St. Th. VI, 456 *axibus axes inflicti radiisque rotae.* Participium *inflictus* eodem fere sensu quo percussus usurpatum est: Val. IV, 282 *inflicta terga.*

infodere 1) dativus: St. Th. V, 301 *terrae scelera.* 2) ablativus: St. Th. VI, 821 *pulvere atque cruore genas.* 3) incerta casus forma: Th. IV, 458 *infossus humo agger.* VIII, 534 *infossa cerebro vulnera.*

infrendere verbi participium *infrendens* cum dativo iunc-

tum reperitur: St. Th. VIII, 580 *aliis.* Absolute positum est: V, 663. IX, 446. XI, 297.

infringere St. Ach. I, 575 *digitosque sonanti infringit citharae.* Th. II, 556 *abscissis infringens cautibus uncas,* ubi Lachmannus *impingens* scriptum vult. Eodemque modo dativum intelligo: Val. V, 411 *genibusque tumens infringitur unda,* quamquam pro ablativo accipi potest illud *genibus.* Usurpatur enim et proprie et translate eodem fere sensu quo verbum simplex: Val. III, 236. VI, 199. St. Ach. I, 144. II, 214. Th. VI, 691. X, 199. Restat: Val. III, 287 *infracta pectore tela* i. e. pectori infracta et in pectore fixa.

infundere 1) *per* præpositio: St. Th. I, 416 *infusa per artus virtus.* 2) dativus: Val. IV, 552 *tam largus honos, tam mira senectae maiestas infusa.* St. Silv. V, 4, 16 *te* (Somnum) *totas infundere pennas luminibus compello meis.* Th. I, 405 *infusam tergo glaciem.* I, 501 *infundat Titan animantibus ortus.* II, 528 *nox terris umbram.* IX, 877 *puer infusus sociis.* Dativus commodi est: Mart. V, 70, 1 *infusum sibi plenum centiens.*

ingerere 1) = inferre, iniicere: St. Silv. III, 1, 159 *poma Hesperidum gremio ingere Pollae.* Th. VI, 874 *ingestas fluvio sudoris harenas.* Mart. I, 21, 2 *ingessit sacris se focis* (dextra). T aliique nonnulli *iniecit.* De telis, quæ in alqm coniiciuntur: Val. VI, 230 *viris ensem.* St. Th. IX, 708 *miserantibus hastas.* Dativus significat locum, in quo urbs condita est: St. Silv. V, 3, 38 *Latiis ingessit montibus Albam.* Th. IV, 180 *summis ingestum montibus Aepy.* 2) = obviam ferre: Val. VIII, 53 *oculisque parentis ingerar.* St. Silv. II, 2, 85 *diaetis, quae tibi Parthenopen ingerit* i. e. quasi obviam tibi fert, conspicere te sinit. Th. VII, 467 *fratrem huic, fratrem ingerit illi vel utrique patrem.* XI, 172 *extinctos galeae pater ingerat orbes.* "mihi galeato ingerat suos exstinctos oculos" Barth. Offerendi sive potius obtrudendi notio verbo inest: Val. VII, 651 *si ipse* (Aeetes) *sibi* (Aesonidæ) *terga ingerat*

ultro. Translate: Mart. VIII, pr. 9 *ne caelesti verecundiae tuae laudes suas omnis versus ingereret.*

ingruere Val. III, 454 *pecorique satisque nullae pestes nec luctifer ingruat annus.* V *ingravat.*

inhaerere St. Ach. I, 570 *lateri non evitantis inhaeret* (Achilles). Librorum lectionem restituit Kohlmann; ceteri editores *adhaeret*. Th. VI, 888 *tergo necopinus inhaeret Tydeus.* Translate: St. Silv. III, ep. 5 *hac cui tam fideliter inhaeres quiete.*

iniicere verbo semel subiecta est 1) *ad* præpositio: Val. II, 235 *aliae ad fastigia taedas iniciunt.* Reliquis locis sequitur 2) dativus a) proprio sensu: Val. III, 343 *galeam dilectaque cingula regi.* St. Silv. II, 2, 99 *ponto novalia.* II, 6, 78 *iacenti iniecit nexus* (Rhamnusia). Cfr quæ de hoc loco disputaverunt Koestlin (Philol. 35 (1876) p. 502) et Sandstroem (Stud. crit. p. 23). Th. III, 434 *ventos Neptunus inicit Aegaeo.* IV, 189 *cunctanti arma.* VI, 194 *genitor sceptrique decus cultusque Tonantis inicit ipse rogis.* VII, 518 *vincla mihi.* IX, 500 *iniecit trepido sese fraxinus.* IX, 807 *se medio Latonia campo.* X, 440 *pectus puero.* XI, 203 *correptumque iniecit equo* (Eumenis). XI, 595 *fratrem recentibus funeribus.* Mart. IV, 75, 5 *Euhadne flammis iniecta mariti.* T *inlecta.* b) translato: St. Th. I, 242 *arma iniciam regnis.* II, 452 *orsa sermonibus.* — Participium *iniectus:* Val. III, 562 *iniecta manus* (Nympha).

iniungere St. Silv. I, ep. 27 *epithalamion tuum, quod mihi iniunxeras.*

inlacrimare St. Silv. V, 1, 163 *omnibus aris inlacrimat.* Cfr Prop. IV, 4, 46 *lacrimis spargitur ara meis.*

inlidere verbi præpositio geminata est: St. Th. XI, 517 *inlidit in cornipedem cursus.* Dativus sequitur: Val. IV, 410 *Tisiphonen agit* (Nilus) *atque imis inlidit harenis.* VII, 53 *quos rex suus inlisit pelago.* Baehrens mutavit *inmisit*, quod cum *pelago* iunctum legitur: St. Silv. III, 2, 63. VII, 585 *clipeo inliditur ignis.* VIII, 447 *Aoniis Thyiada truncis.* V *tyana*, codex Monac. *tympana.* Heinsius

Thyada. St. Th. IV, 730 *ora lupatis.* P *inludunt.* V, 592 *terraeque inlisa nocenti* (Lemnia). VI, 217 *telis tela.*

inluctari verbi a Statio novati (Grosse l. c. p. 28) participium legitur: Th. IV, 790 *verba inluctantia labris.*

inludere Mart. XII, 53, 9 *inludas quibus auferasque mentem.* Participium *inludendus:* St. Th. VIII, 592.

inmergere 1) proprio sensu: St. Silv. III, 1, 119 *fundamenta solo.* Th. VI, 684 *inmergitur arvis discus.* 2) translato: St. Silv. V, 5, 19 *quisquis signatum flore iuventae inmersit cineri.* "in cinerem redegit" Barth. Cfr Th. IV, 673 *cineri data mater.* XII, 82 *cineri miscere Mycenas.*

inminere 1) = impendere, adiacere: St. Silv. II, 3, 20 *praedae levis inminet* (Pan). Mart. IV, 64, 4 *lati collibus inminent recessus.* 2) = instare, impendere: St. Th. I, 660 *qui* (globus) *desuper inminet Argis.* VI, 606 *illis celer inminet Alcon.* VIII, 677 *flammiger ales olori.* X, 140 *Aoniis longe gravis inminet arvis* (Somnus). 3) = avere, sectari: St. Th. IV, 195 *spoliis Argiae.* VI, 281 *fallentibus undis* (Tantalus).

inmiscere St. Th. VIII, 563 *primis inmixtus.* Mart. Sp. 21, 5 *inmixtum pecori genus omne ferarum.*

inmittere 1) proprio sensu: St. Silv. III, 2, 63 *telluris alumnos pelago.* Ach. I, 651 *genitum Peneis silvis nivibusque Thessalicis.* Th. II, 223 *foribus inmissa superbis unda vulgi.* III, 317 *aperto equos.* 2) translato: Val. VII, 353 *Hecaten inmittere vires sibi precatur* (Medea). St. Silv. II, 3, 71 *opibus lucem.* IV, 6, 84 *populis furias honestas.* Participium *inmissus* cum accusativo iunctum legitur: Val. I, 412 *inmissus patrios de vertice crines.*

inmori Val. VI, 570 *Nestoris hastae inmoritur Helix.* St. Th. IX, 19 *nefandus tabo.* Translate: St. Th. I, 481 *aura superstes velis.*

inmurmurare 1) transitive adhibitum: St. Th. XI, 63 *terraeque inmurmurat nomen* (Tisiphone). 2) intransitive positum adsciscit a) dativum: Val. VII, 312 *manibus uncis.* b) ablativum: St. Th. I, 532 *tacita aure.* De ablativo cfr.

vv. *subire*, *incidere*. Koestlin (Philol. 35 (1876) p. 517) coniecit *tacito ore*, quam coniecturam Baehrens (Bursians Jahresber. VI (1876) p. 156) haud spernendam censet.

innare St. Th. X, 231 *vadis*.

innatare St. Silv. IV, 5, 40 *Tuscis gurgitibus*.

inniti St. Silv. IV, 2, 38 *Indis innixa columnis robora*. Th. VIII, 736 *terrae*. XII, 144 *fractae hastae*.

inpellere 1) dativus: Val. VI, 256 *inpulit adverso praeceps equus Onchea conto*. Dativus personæ est: St. Th. III, 482 (ille,) *cui tu, Dictaee, inpuleris aves*. 2) præpositio a) *in:* St. Th. I, 119 *fragor inpulit Octen in latus*. Cfr Verg. Aen. I, 82. V, 559 *vacuas in auras saxum*. VI, 176 *unum inpellamur in ignem*. VII, 83 *Mars inpellit equos residesque in proelia Graios ipse etiam indignans*. "repetenda significatio verbi" Barth. Optime et sententiæ et structuræ subvenit Sandstroem (Stud. crit. p. 53), qui eiecta particula *que* virgula post *equos* interpungit. De *resides in proelia* cfr St. Th. I, 439 et adnot. Forbigeri ad Verg. Aen. II, 347. De animi motu: VII, 581 *has Eumenis in furias inpulit*. b) *ad:* St. Th. IX, 373 *possessumque fluctibus altis Nereidum cohors ad pectora matris inpulit*. X, 212 *me ad limina*.

inpendere verbum translate usurpatum dativum his locis assumit: Val. I, 470 *transtris inpenditur Orpheus*. St. Silv. V, 3, 206 *gemitum patriis damnis*. Th. VII, 215 *proprio inpendo dolori Oedipodionidas*. XI, 653 *inpensus patriae Menoeceus*.

inpendēre Val. VII, 314 *foribus inpendet apertis* (virgo).

inpingere 1) de motu locali: Val. III, 149 *trepido Pollux inpingitur Hebro*. St. Th. IV, 317 *adversis inpegit pectora frenis* (Atalante). VII, 28 *Tyriis Danaa agmina muris*. VIII, 34 *superum labes inimicum inpegit Averno aethera*. IX, 461 *nigrum Oriona nautis*. X, 765 *Lernae reliquias turpes*. 2) translate: Val. VII, 401 *se magistris pecorique pavor*.

inponere 1) proprio sensu: Val. III, 26 *ille* (leo) *iubas captivaque postibus ora inposuit*. IV, 186 *arma aris*. V,

30 *membra rogo.* V, 189 *pecudi palmas.* V, 421 *Phasidis hos* (Getas) *inponat agris.* St. Silv. I, 3, 44 *inpositum ripis algentibus ignem.* Spreta librorum auctoritate pro *ripis*, quod vocabulum ad versum proxime antecedentem optime convenit, Baehrens scripsit *rivis.* Cfr adnot. Handii ad Gronov. Diatr. I p. 433. II, 1, 63 *inpositus stratis.* V, 1, 85 *molem humeris et vix tractabile pondus.* Th. I, 274 *delubra nefastis locis.* V, 140 *ferrum stratis.* VI, 321 *Sol natum axi.* XII, 696 *inpositos rogis.* Mart. X, 25, 2 *membra focis.* 2) translato a): St. Th. I, 227 *mens cunctis inposta manet.* Librorum lectionem *inposta* qui retinent, addita, insita, vel tale aliquid interpretentur necesse est. Vox tamen illa plerisque suspicionem movit, variæque a viris doctis prolatae sunt coniecturae, de quibus cfr Mueller in hunc locum. Proxime ad librorum scripturam accessit Barth, *inpasta* coniiciens. Mueller in textu posuit *inmota.* Mart. I, 52, 9 *inpones plagiario pudorem.* b) = præficere: Val. 1, 565 *me regia mundo inposuit.* VI, 742 (Perses,) *quem genitor Colchis solioque inponere fratris statuit.* V mendose *iteponere.* Codex Monac. *reponere*, quod Baehrens recepit. c) *finem inponere:* Val. IV, 461 *poenis.* V, 679 *bello.* d) = decipere, ubi omisso accusativo sequitur dativus eius, qui decipitur: III, 57, 1 *callidus inposuit mihi copo.*

inprimere Val. VIII, 111 *gressus dorso.* St. Th. I, 29 *radiantem crinibus arcum.* V, 252 *ora toris.* XI, 8 *Encelado Aetnam.* Mart. X, 42, 5 *inpressi tibi basia quinque.* Apertum est vitium in T *impensi bassia.*

inputare = ascribere, assignare: St. Silv. II, ep. 26 *genethliacon Lucani, quod Polla inputari sibi voluit.* II, 7, 30 *Lucanum potes* (Baetica) *inputare terris.* IV, ep. 20 *Herculem epitrapezion inputare tibi possum.* Th. V, 637 *maerentibus inputat undas* (Hypsipyle). Cfr Lemaire. Mart. III, 6, 3 (lux) *inputat aetherios ortus parenti.* IV, 82, 2 *inputet nobis otia parva* (Venuleius). V, 20, 13 (soles,) *qui nobis inputantur.* V, 80, 2 *totam mihi horam.* X, 30, 26 *quot Formianos inputat dies annus rebus urbis haerenti.*

XII, 48, 13 *inputet deus mihi nectar.* XII, 82, 4 *tibi pilas.*

inrepere St. Silv. V, 2, 63 *signa iuventae inrepsere genis.* V, 3, 8 *hederis inrepere taxum.* VIII, 217 *lacrimis somnus.*

inscribere verbum utrum dativus an ablativus sequatur, dispicere non licet: St. Silv. III, 1, 46 *hic templis inscriptus sacerdos.* Significari videtur nomen eius inter reliquorum sacerdotum in aliqua templi parte insculptum fuisse. Cfr Lemaire. Markland *adscriptus.* Mart. IX, 15, 1 *inscripsit tumulis Chloe.* Sequente solo accusativo verbum idem valet atque titulum apponere: St. Silv. IV, 6, 24; unde *inscriptus* participium = titulo (vel signis) ornatus: St. Th. VIII, 270. Mart. VIII, 75, 9. IX, 44, 5. XI, 45, 1.

inserere 1) dativus a) = immittere, iniicere: Val. II, 215 *cunctantibus inserit enses.* V *inthamos.* Edd. *ψ invenit*, quod Thilo in textum admisit; defendit etiam Braun (l. c. p. 10). Schenkl Heinsium secutus *ingerit.* Aptior tamen ad totius loci tenorem videtur Herelii coniectura a Baehrensio recepta *inserit.* Cfr St. Th. V, 230 *saeva parens — adstitit inpellitque minis atque inserit ensem.* Th. I, 306 *dextrae virgam.* II, 711 *huic galeas — arma.* IV, 21 *galeis oscula.* V, 31 *arma toris.* VI, 356 *citharaeque manus insertus Apollo.* Translatione satis audaci usus est St.: Silv. V, 5, 72 *poscentemque novas tremulis ululatibus auras inserui vitae.* b) = addere, admiscere: St. Silv. II, ep. 23 *consolationem huic libro inserui.* IV, ep. 30 *hendecasyllabos huic volumini.* Th. XI, 208 *Tisiphone inserta ministris.* Mart. IV, 31, 4 *volo te chartis inseruisse meis.* 2) *in* præpositio: Mart II, 75, 2 *insertam in ora manum.* Subiungo frequentativum

insertare 1) de motu locali: St. Th. VI, 891 *lateri dextram.* XII, 460 *dextras catenis.* 2) translate: Th. III, 550 *caelo mentem insertasse vetanti.*

inserere verbi participium *insitus* sensu translato adhibitum est: St. Silv. II, 7, 127 *ipsum* (coniugem) *altius insitum medullis.* Th. I, 459 *iura insita monstris.*

inserpere St. Th. I, 340 *somnus inserpit curis.*

insinuare St. Th. V, 448 *Juno arma habitusque virum pulchraeque insignia gentis mentibus insinuat.* Eadem significatione usurpatum verbum omisso dativo legitur: St. Silv. II, 1, 234. Th. VII, 110.

inspirare St. Th. VI, 604 *Idas inspirat humero.* Transitive usurpatur 1) proprio sensu: St. Th. VII, 170 *inspirata buxa.* 2) translato: Val. VII, 255 *amorem* (Venus). St. Silv. I, 2, 194 *tacitumque inspirat honorem conubii* (Venus Violentillae) Queck Handium secutus edidit. Libri *tacitoque honorem*, unde Baehrens *tacitoque honore.*

instare 1) = in loco alqo stare vel esse: St. Silv. I, 5, 49 *unda labris.* 2) = adesse, imminere: St. Silv. II, 2, 225 *miseri, quibus unde dies suprema, quis aevi exitus, incertum, quibus instet fulmen ab astris.* Mart. I, 15, 3 *bis tibi consul tricesimus instat.* 3) = premere, urgere sequente dativo a) personæ: Val. VI, 644 *aliis.* St. Th. II, 603 *trepidis.* VIII, 600 *instabat pubes Tegeaea iacenti.* Mart. XII, 59, 6 *hinc instat tibi textor inde fullo.* b) rei: St. Silv. V, 1, 31 *oculis uxorius imber.* Th. I, 427 *unca manus oculis cedentibus instat.* P solus *intrat*, quod a Muellero in textu positum est. Dubium videtur, utra lectio sit præferenda, nam aptissime inter se opponuntur verba *cedere* et *instare.* V, 695 *faces et tela penatibus instant.* VI, 235 *instant flammis* (multoque soporant imbre rogum). X, 682 *instantem vallo Agrea.* XI, 243 *frater muris omnibus instat.* XI, 259 *periclo.* = hortari, instigare: Val. I, 302 *tutela carinae vocibus his instare duci.* Baehrens scripsit *adstare*, quod id verbum sollenne esset in huiusmodi visis nocturnis. Eadem significatione de re: Val. I, 249 *quae nostris nepotibus instent.* "ad æmulationem excitent" Lemaire. 4) = rei sedulo operam dare: Val. II, 175 *saevis dea planctibus instat.* IV, 39 *vacuis amplexibus instat*, ubi *amplexibus* fortasse melius ablativus intelligitur, ut ad *instat* audiatur *oranti.* St. Th. IV, 328 *magnis conatibus.* VII, 18 *plausibus.* Eademque fere videtur esse verbi notio: IX, 865 *instat telis*, nam hoc loco idem sig-

nificari, quod est Verg. Aen. X, 131 *nervo aptare sagittas*, e sententiarum nexu facile intelligitur.

insultare 1) proprie: St. Th. X, 877 *gressu manuque molibus.* 2) translate: Val. IV, 604 *viris Enyo.* VI, 596 *quantis acervis* (Aesonides). St. Th. I, 78 *insultant tenebris* i. e. cæco patri. II, 18 *malis.* X, 451 *clausis Pelasgis.* Mart. V, 31, 1 *placidis insultet turba* (puerorum) *iuvencis.*

insurgere 1) *in* præpositio iterata: St. Th. I, 628 *saevior in miseros Delius insurgit.* 2) dativus: Val. I, 450 *transtris.* II, 13 *remis.* = contra alqm surgere: IV, 274 *insurgere fesso integer.* V *ferro.*

intendere 1) = in alqd tendere a) proprie: Val. VIII, 68 *manus crinemque intenderat astris* (Colchis). Pro *crinem* Baehrens *virgam.* b) translate: VIII, 362 *maestas aliis intendere voces puppibus.* Editores Heinsii coniecturam *aliis* probaverunt; *V altis.* = minari: Val. V, 397 *intenta puero nece* coniectura Eyssenhardtii recepta edidit Thilo, *parentes* (v. 338) Argonautas intelligens. Vulgatam *pueros* suo iure tuetur Ph. Wagner (Philol. XX (1863) p. 625). 2) = animum ad alqd advertere: Val. VI, 600 *magis campis intendere.* Suspicionem hic locus propter verbi significationem Madvigio movit (vid. advers. crit. p. 148), qui pro *magis* a Valerio scriptum fuisse putat *aciem.* Participium *intentus:* St. Silv. I, 1, 62 *operi intenta iuventus.* 3) = alqm spectare, alci destinatum esse: St. Silv. III, ep. 31 (cum scias) *hanc destinationem quietis meae tibi maxime intendere.* — Reliquus est locus, ubi mutata structura verbum proprio sensu usurpatum adsciscit accusativum cum ablativo: St. Th. I, 631 *camposque et celsa Cyclopum tecta superiecto nebularum intendit amictu* (Delius). Madvigio (advers. crit. p. 153) debetur *intendit*, quam correctionem recipi vult Mueller (Elect. Stat. p. 14). Libri exhibent *incendit*, quod nullum præbet sensum. Cfr Th. III, 416 *nigroque polos involvit amictu.* Haud scio an altero quoque loco hoc verbum eadem significatione et structura adhibitum Statio vindicandum sit: Ach. II, 379 *his armis primum intendisse lacertis.* De variis huius loci

lectionibus vid. Kohlmann. Scripturam a me allatam in textu posuit Queck.

intonare verbum adhibetur 1) intransitive a) = in alqo loco tonare sequente α) dativo: St. Silv. IV, 3, 161 *donec Troicus ignis et renatae Tarpeius pater intonabit aulae.* β) ablativo: Val. II, 366. IV, 414. St. Ach. I, 453. Th. V, 87. Cfr v. *insonare.* b) = contra alqm tonare: Val. I, 591 *intonuit pavidis ventis omnipotens.* 2) transitive: Val. III, 169 *clavam superne intonat* (Hercules). Accusativo *clavam* qui offenduntur, *clava* malunt. Itaque Koestlin, qui "intonare clavam" latinum esse negat, in hunc modum locum constitutum vult: *occupat os barbaque viri clavaque superne. Intonat occumbens.* cet. (Vid. Philol. 39 (1880) p. 422). Sed haec, si verum quærimus, verbis librorum nullo modo præferenda videntur. Nam ut zeugma illud "occupare os barba — clava" omittam, num "occupare os barba" magis latinum sit quam "intonare clavam", valde dubito. Dixit Horatius quidem Epod. 2, 51 *intonata fluctibus hiems.* = alta voce clamare, pronuntiare: St. Silv. V, 3, 97 *furias regumque dolos aversaque caelo sidera.* Th. II, 668 *haec intonat.*

intorquere St. Th. II, 579 vid. s. v. *addere.*

inurere St. Th. VIII, 709 *inusta temporibus aera.* "vi impacta" Barth. Translate: Mart. VI, 64, 24 *si quid nostrae tibi bilis inusserit ardor.*

invehere Val. II, 624 *quam* (Lampsacum) *arcanis Phrygius furor invehit antris.* St. Th. II, 153 *quos* (iuvenes) *regnis invexit nox dextra mihi.*

invergere Val. II, 611 *pelago vina.*

invidere verbo adiungitur 1) solus dativus a) personæ: Val. II, 375 *invidisse deos aequor adortis.* St. Silv. I, 2, 236 *plures viro.* Mart. I, 40, 2 *omnibus invideas, livide, nemo tibi.* I, 86, 3 *mihi.* III, 58, 44 *convivae.* VII, 5, 3 *hosti Roma suo.* IX, 51, 3 *tibi.* b) rei: Val. II, 608 *Inois noster sinus invidet undis.* St. Silv. II, 2, 5 *praelis non invidet uva Falernis.* V, 1, 149 *rapidae puppi aura.* Ach. II, 101 *vestris coeptis.* Th. II, 432 *quid maioribus actis*

invideam? Madvig (advers. crit. p. 154) *aulis.* Lectionem libris traditam bene tuetur Koestlin (Philol. 35 (1876) p. 530). Idem vocabulum legitur: XII, 584 *nec sacer invideat paribus Tirynthius actis.* III, 685 *Arctos astris.* V, 649 *periturus invidet armis.* Libri *perituris.* Verum vidit Lachmann, qui ita rem explanat: "se, quem illis periturum putat, armis invidet." (Cfr Mueller, Elect. Stat. p. 25). Mart. I, 113, 4 *invidebis otio tuo.* IX, 30, 5 (tumulis,) *quibus invidet* (Nigrina). 2) dativus rei addito genitivo personæ: St. Th. VII, 275 *quorum* (Neptuniae plebis) *novis Haliartos aristis invidet.* 3) solus accusativus: St. Th. VIII, 68 *quod* (mirer ego) *invideantque sorores.* 4) accusativus addito dativo personæ: St. Ach. II, 263 *te nox una deditque invidit que mihi.*

invigilare 1) = loco alqo vigilare: Val. II, 374 *rati invigilans* (Tirynthius heros). *V invigans.* St. Th. III, 4 *invigilant animo curae.* 2) = rei intentum esse, custodire: St. Th. VIII, 263 *malis.* VIII, 624 *curam invigilare quieti.*

invitare 1) *ad:* St. Th. I, 389 *ad dura cubilia somnos.* Mart. VIII, 22, 1 *invitas ad aprum.* IX, 63, 1 *ad cenam.* XII, 48, 17 *ad subitas ofellas.* 2) ablativus: St. Silv. III, 1, 138 *Pallada templis.* V, 3, 282 *umbram senilem ripis.* Ach. I, 79 *curru* (Thetin). Th. VIII, 378 *nigroque viros invitat hiatu* (Mors).

interfari verbo Statius apposuit dativum, cuius structuræ alterum exemplum non exstat: Th. VII, 290 *virgo interfata loquenti* exhibet P. Queck in textu posuit *docenti.* In quattuor libris *loquentem* scriptum esse docet Duebnerus. Absolute positum est II, 188.

interfundere St. Th. I, 63 *stagna bicorni interfusa iugo.*

interiungere St. Th. VI, 308 *natantibus interiunctus equis.*

intermiscere St. Silv. V, 1, 96 (quis centum valeat frenare) *maniplis intermixtus* (equos) ex emendatione Salmasii edidit Queck. Depravata est librorum lectio; de virorum doctorum emendationibus cfr adnot. Baehrensii; vid. etiam Sandstroem (Stud. crit. p. 33).

interserere St. Th. VI, 781 *manibus interserit ictum.*

intersonare St. Th. V, 344 *mediis intersonat Orpheus remigiis.*

intervenire St. Silv. II, 2, 15 *montique intervenit unum litus* libri exhibent. Illud *unum*, quod tolerari vix potest, varie mutatum est. Optime sententiæ consuluisse mihi videtur Baehrens, qui pro *unum* scripsit *unda*, post quod vocabulum commate interpungit. Cfr Grasberger, Jahrb. f. class. Philol. 115 (1877) p. 420. Alii *udum, uncum, curvum.* Th. VI, 639 *exilis plantis intervenit aer.*

intervirere verbum a Statio novatum apud Claudianum redit (Cfr Grosse l. c. p. 30): Th. IV, 98 *interviret herbis* (anguis).

occumbere Val. I, 633 *segni leto.* Idem substantivum: St. Th. I, 595 et V, 693. *leto* utrum tertius an sextus casus sit, dubium est. Vid. Forbiger ad Verg. Aen. II, 62. Eodem sensu absolute: Val. III, 169. VI, 286, 309. St. Th. IX, 509.

occurrere 1) dativus personæ: Val. VI, 586 *miserae Iason.* St. Th. I, 594 *patri.* II, 603 *trepidis.* VII, 669 *iactanti talia Capaneus occurrit.* Mart. I, 117, 1 *nobis.* II, 67, 1 *mihi.* III, 44, 1 *tibi nemo.* III, 14, 3 *illi sportularum fabula.* VII, 95, 14 *centum cunnilingis.* IX, 55, 3 *occurrit nobis turba.* In editione Grimensi legitur *succurrit.* 2) rei: St. Silv. II, 1, 18 *dulcis amaro lympha mari.* Th. I, 115 *Cithaeron caelo.* III, 297 *meis telis.* VIII, 362 *dulci ponto* (Nereides). XII, 324 *tuis occurro triumphis.* = se obiicere: Val. VII, 267 *monstris.* St. Th. I, 640 *certae morti.* — obire, conficere: Val. VII, 627 *toti bello.*

obducere St. Th. IV, 687 *Argolicos paulum mihi fontibus amnes stagnaque et errantes obducite pulvere rivos.* Mueller in textum intulit coniecturam suam *subducite*, quam ipse interpretatur "supprimite vel subtrahite"; sed mutata sententia vulgatam retineri posse concessit (Elect. Stat. p. 14). Et recte id quidem. Cfr Ovid. Am. I, 8, 6 *inque caput liquidas arte recurvat aquas.* Vid. etiam St. Th. V, 522 et VII, 405. Mutata structura significat alqa re obtegere: St. Th. XII, 700 *clipeis pectora.*

oberrare St. Th. VIII, 436 *dilecta genis morientis oberrant Taygeta.* XI, 726 *ne rotis intempestivus oberret*, ubi fortasse ablativus accipi debet, cuius perspicua forma exstat: Ach. I, 601 *ne quis temerator oberret agmine femineo* i. e. dum feminæ incedant.

offendere verbum, ubi significat incurrere, incidere in alqd. assumit 1) in præpositionem: St. Th. IX, 368 *in tela offendit et enses* (genetrix). 2) dativum: Th. V, 170 *primis carinae litoribus.* 3) accusativum: Th. VII, 19 *offensique sedent ad iusta sepulchri.* "forte fortuna oblati" Barth. Participium *offensus* eodem fere sensu quo percussus, agitatus: Mart. VIII, 33, 18 *offensae aquae.* — lædere, turbare, offensionem afferre semper sequitur accusativus: St. Silv. I, 3, 41. II, 1, 25. Th. II, 442. VII, 188. VIII, 33. IX, 6. Mart. I, 53, 10. II, 23, 4. II, 32, 1. VI, 7, 6. VII, 18, 8. VII, 48, 5. VIII, 24, 4. IX, 55, 5. XII, 77, 5. *offensus* participio dativus additus est eius, cui alqs irascitur: St. Th. XI, 457. Mart. IX, 43, 11.

offerre Val. I, 310 *Minyas obtulit Tithonia Phoebo.* V *mensas.* III, 546 *cervum iuveni offert* (Iuno). St. Th. I, 608 *se lectis iuvenum.* IX, 481 *illi sese deus.*

obiacere St. Th. IV, 61 *obiacet alto Isthmos.*

obiicere Val. V, 627 *femineis ius obicis ausis.* "auctoritate tua reprimis" Lemaire. Baehrens, hæc verba idoneo sensu carere ratus, mutavit *femineis obicem struis ausis*. Cfr tamen v. 674 *ad mea iura venitis.* St. Th. X, 936 *pectora muris.* Mart. VIII, 14, 3 *hibernis obiecta notis specula.* — ad alqd exponere, præbere: Val. VI, 679 *sese periclis.* St. Th. I, 652 *caput fatis.* Et proprio et translato sensu verbum dicitur: Val. VII, 460 *iuveni medicamina non secus ac patriam famamque decusque obicit* (Medea). = exprobrare: Mart. V, 69, 1 *Antoni Phario nil obiecture Pothino.*

obniti verbi participium usurpatur 1) proprio sensu: Val. VI, 236 *abies obnixa genu.* 2) translato: Val. VII, 157 *mens obnixa malo.* Locum in libris depravatum correxit Madvig (advers. crit. p. 148).

opponere Val. IV, 238 *oppositos sibi virginis angues.* St. Th. VII, 540 *me regi.* XI, 25 *profugis ignes* (Iuppiter). XI, 456 *miseris bellum.* Mart. X, 85, 6 *puppim vadis.* = exponere: Val. VII, 420 *me monstris.*

obsistere Val. III, 469 *remis obsistere tendit* (magister). Librorum lectionem impugnat Ph. Wagner (Philol. XX (1863) p. 637), qui *remisque insistere suadet* a Valerio scriptum fuisse opinatur. Nihil tamen mutandum est; nam rem ipse optime enarrat: "er lässt das schiff nicht durch die ruder auf gut glück vorwärts treiben, sondern regelt den lauf durch das steuerruder". Aliter Schenkl (Stud. p. 83). VIII, 404 *sociis.* St. Th. VII, 740 *ardenti.* X, 912 *fatis.*

obstare 1) = obversum stare: St. Silv. I, 2, 23 *dominae niveis a vultibus obstas.* Editores omnes *dominae* pro librorum scriptura *dominis.* Sandstroem, qui *Veneri velut Evius adstas* a Statio relictum suspicatur (Stud. crit. p. 9), versum corruptum esse pro certo habet his potissimum de causis: a) "qui modo coniugem amplexu tenere dicebatur, iam tergum ei obvertere fingitur". Statius rem ita non finxit. Nam *a vultibus obstare* quid significet, ex his locis satis apparet: Th. IV, 17 *summis a postibus obstant.* IV, 564 *oppositis a ventre lacertis.* VII, 445 *nullique a montibus obstant despectus.* b) "vultus, cuius modo dulcis rubor laudabatur, subito niveus factus est". In huiusmodi imaginibus summa tantum rei spectanda est, neque singulorum verborum pondera quasi aurificis statera examinanda. Atque *niveus* adiectivum, quod Statio mirifice placuisse videtur, universe dicitur de rebus splendentibus et aspectu pulchris. Cfr Mart. VII, 32, 11 *niveas undas.* Quare ut poeta probitatem animi pudoremque Violentillæ verbis *dulci probitate rubentem* modo (v. 12) laudavit, sic oris splendorem et pulchritudinem vocabulis *niveis vultibus* iam extollit. Nec vero quidquam est, cur repetitione vocabuli *niveus* offendamur. Nam Statium voces præ ceteris adamatas iterum iterumque posuisse vere admonet Grosse (l. c. p. 20). c) "putida deinde tota imago". Recte id quidem; neque

tamen putidior quam alia nonnulla, quæ nobis reliquit Statius. Condonandum præterea poetæ videtur, si in carmine, cuius per materiam stilo quam velocissimo se decucurrisse ipse affirmat (I, ep. 25), inania quædam verba quasi complementa numerorum inculcaverit. Itaque suo iure recentissimus huius epithalamii editor (A. Herzog, Stati Epithalamium. Lips. 1881.) traditam scripturam retinuisse mihi videtur. 2) oppositum esse, impedire et proprie et translate: subiectum est a) persona sequente dativo α) personæ: St. Ach. I, 275 *obstat genitorque roganti nutritorque.* Th. III, 643 *deus furentibus.* VII, 247 (spesne) *obstatura haec vexilla Pelasgis?*. XI, 172 *ad bella ruenti* (pater). XI, 724 *felicibus hicne obstat?* β) rei: Val. V, 668 *nostris sudoribus* (Mavors). St. Silv. II, 2, 25 *hic* (Neptunus) *fluctibus obstat.* V, 5, 63 *rapidis ignibus.* Ach. I, 78 *pectore nudo caeruleis obstabat equis* (Thetis). I, 364 *deum fraudibus.* II, 230 *his lacertis.* Th. VI, 795 *ictibus.* XI, 466 *saevis animantum ac deorum animis.* b) res: Val. I, 518 *quid amnibus ullis Phasis et proles mea gentibus obstat?* St. Silv. I, 3, 26 *externa sibi fluviumve obstare queruntur* (praetoria) Domitium secutus edidit Queck, quod Grasbergero quoque probatur. Vid. Jahrb. f. class. Philol. 115 (1877) p. 770. Depravata est librorum lectio *flaviorum optare.* Baehrens *fluviore abstare.* Aliam coniecturam *fluviove obstare* protulit Koestlin (Philol. 37 (1878) p. 289), qui sensum ita exponit: „die edlen bauten bewachen das beiderseitige ufer und klagen nicht, dass fremdes ihnen oder dem flusse entgegenstehe und die aussicht verlege“. IV, 3, 111 *nihil cupidis.* Th. I, 120 *geminis fluctibus Isthmos.* I, 690 *culpa nepotibus.* II, 270 *amori poena.* IV, 524 *Styx manibus.* VII, 138 *nihil flagrantibus.* VII, 423 *bellicus ardor consiliis obstat divum.* VIII, 350 *currus properantibus.* XI, 425 *sceleri obstare pudorem.* Mart. IV, 29, 1 *obstat nostris sua turba libellis.* — officere, obscurare: Val. I, 318 *femineis furens ululatibus obstat.* St. Ach. I, 296 *Deidamia pulchris sororibus obstat.*

obstrepere St. Silv. III, 2, 4 *obstrepat unda precanti.* Mart.

I, 95, 1 *agentibus obstrepis.* VII, 18, 13 *clamoso obstrepe cunno.* T *monstro.*

obstringere Val. VII, 602 *obstrinxit aratro* (taurum).

ostendere (de præpositionis forma cfr Kuehner l. c. I § 210, 21 d.) Val. V, 178. VIII, 199. St. Silv. I, 1, 24. III, 4, 8. Th. VI, 89, de quo cfr Mueller. VIII, 239. IX. 188. X, 375. Mart. VI, 70, 5. Exstat hoc verbum in libris etiam: Val. II, 450 *ignem ostendit foliis*, ubi ex emendatione Madvigii (advers. crit. p. 138) Baehrens suo iure in textum recepit *obtendit.* Subiungo frequentativum

ostentare Val. I, 256 vid. Thilo in hunc locum. VI, 544. Ach. II, 148. Th. I, 54. II, 684.

obversari St. Th. XII, 191 *nulla animo obversatur imago.* Simplex verbum in plerisque libris exstare docet Queck.

obverti verbi translate adhibiti unum reperitur exemplum: St. Th. XI, 484 *belli obverteris ausis.* Participium *obversus* proprio sensu usurpatur: St. Th. VIII, 486 *turmis.* IX, 112 *cunctis.*

posthabere St. Silv. V, 362 *me canentem Homero.* Cfr Koestlin, Philol. 35 (1876) p. 511. Th. II, 253 *Munychiis Argiva posthabita est Larissa iugis.*

praecipere = imperare St. Silv. V, 1, 96 *cohorti.*

praeferre 1) proprio sensu: Mart. III, 93, 26 *taedas novae nuptae.* 2) translato: Mart. I, 78, 9 *hanc mortem fatis Catonis.* IV, 40, 3 *te solum tantis regnis.* IV, 64, 35 *istis iugera pauca.* V, 10, 4 *antiquos novis.* V, 19, 1 *temporibus saecula nulla tuis.* V, 37, 4 *cui* (puellae) *lapillos Erythraeos.* VI, 40, 1 *femina tibi nulla.* V, 40, 2 *Glycerae femina nulla.* VII, 34, 9 *domini deique nostri praefers muneribus Neronianas* (sc. thermas). VII, 34, 10 *thermas balneis.* VIII, 69, 7 *tua Pantaenis se illi.* X, 30, 4 *vos* (Formias) *omnibus locis.* X, 78, 15 *multos mihi.* XII, 49, 6 *te nulli.*

praeficere Val. II, 302 *illum tristi arae.* St. Silv. IV, 9, 19 *te Germanicus praefecit stationibus viarum.* V, 1, 114 *quam pater arcani praefecit hiatibus antri.*

praelibare St. Silv. III, 4, 60 *superis nectar.*
praelucere St. Silv. I, 2, 89 *natanti.* Codex Rehd. *praeulsi.* quare fortasse scribendum *praefulsi.*
praeludere St. Silv. I, ep. 14 *qui operibus suis stilo remissiore praeluserit.* Ach. I, 19 *magnusque tibi* (Domitiano) *praeludit Achilles.*
praemittere St. Silv. V, 3, 81 *sibi inferius olor.*
praenitere St. Silv. II, 7, 130 (vultus,) *qui stratis praenitet* editores omnes praeter Baehrensium scripserunt, qui *stratis* a Domitio inventum docet. Ipse edidit *stratus.*
praependere Mart. IX, 47, 4 *tibi barba.*
praesternere St. Silv. V, 1, 257 *Elysios animae flores.* Idem fere valet atque præparare: St. Silv. III, 2, 114 *sibi praesternat vivax altaria Phoenix.*
praesudare St. Th. VI, 4 *Martia bellis praesudare paret* (seseque accendere) *virtus.*
praetendere Val. V, 166 *Armeniae praetentus Hiber.* St. Th. VII, 36 *praetenta caelo agmina nimborum.* — causam interponere: Th. XI, 301 *insano praetendis funera voto.*
prodesse Val. III, 173. VII, 248. VIII, 340. VIII, 355. St. Silv. II, 1, 211. II, 5, 1. Mart. II, 6, 10. III, 75, 4. V, 49, 8. VII, 96, 5. X, 2, 11. X, 4, 4. X, 82, 8.
prominere St. Th. IV, 176 *galeaeque coruscae prominet gigans.* Libri *galeae corusca,* unde Mueller in textu posuit *galea corusca;* sed lectionem allatam in textum admittendam censet (Elect. Stat. p. 14). V, 511 *auratae crudelis gloria fronti.* P *fronti,* reliqui uno excepto *frontis,* quæ ante Muellerum vulgata lectio fuit. Cfr Mueller in hunc locum.
succedere 1) *in:* Mart. VIII, pr. 6 (ingenio,) *in cuius locum materia successerat.* 2) dativus a) proprio sensu α) = appropinquare: Val. III, 139 *propius succedere dextrae Telecoonta sinit.* St. Ach. II, 29 *ignota terris carbasa.* β) = ingredi, intrare: Val. I, 797 *meritis regis succedite tectis* (ultrices deae). Baehrens Heinsium auctorem laudans scripsit *meriti,* sed librorum scripturam recte tuetur Gebbing l. c. p. 72. Cfr etiam Koestlin, Philol. 39 (1880)

p. 254. VI, 506 *ramis volucres.* St. Ach. I, 2 *patrio caelo.* Th. I, 469 *tecto.* II, 398 *pactae aulae.* XII, 784 *muris.* Mart. VIII, 46, 5 *tu Ganymedeo poteras succedere lecto.* b) translato α) = in alcs locum succedere: Val. VIII, 338 *Haemonius nobis succedet adulter.* Mart. V, 61, 12 *te successurum Panniculo.* XII, 98, 7 *Macro.* β) = rem vel negotium alqd excipere, suscipere: Val. VII, 67 *succede meae, fortissime, laudi.* St. Th. V, 284 *curis.* VII, 738 *deus vagis habenis.*

succumbere Mart. XIII, 64, 1 *sterili gallina marito.* St. Silv. V, 2, 14 *succumbitque oneri* (et mentem sua non capit) *aetas.* Librorum lectionem dedi, quæ meo quidem iudicio coniecturæ Baehrensii minime postponenda est, qui virgula post *annis* (v. 13) deleta et post *oneri* posita pro *succumbit* scribit *incumbit* i. e. onus auget. Sed difficile est ad intelligendum, quid sit *onus* illud, quod auget *animus robustior annis.* Si librorum verba recte intellexi, *animus* ipse *onus* quoddam dicitur, cui *angusti anni* (vel *aetas*) succumbunt. Cfr Silv. IV, 4, 45. Ach. I, 148. Th. VI, 486. Sed quamquam hic versus Statii ingenio et arte indignus non est, tamen eum eiiciendum puto, quippe qui nullo cum superioribus vinculo contineatur, eandemque sententiam atque versus proxime antecedens verbis tantum immutatis efficiat. Vid. Koestlin, Philol. 35 (1876) p. 504.

succurrere = accurrere auxilii ferendi gratia: Val. VII, 199 *tibi mater et coniunx.* VII, 280 *hospitibus.* VII, 506 *ingrato.* St. Th. IV, 748 *propinquis gentibus.* Mart. II, 43, 14 *mihi manus.* XI, 49, 3 *Silius optatae succurrere censuit umbrae.* V, 78, 19 *tibi nobiles olivae.* VI, 2, 4 *populis futuris.* VIII, 75, 8 *misero casus.* IX, 8, 7 *teneris ephebis.* XI, 6, 13 *bibenti succurrent mihi quindecim poetae.* XI, 73, 4 *mihi sinistra.* XII, 49, 7 *misero furori.*

subdere St. Th. I, 175 *iugo colla.* X, 197 *sociis flammas.* Mart. Sp. 7, 10 *tibi, Roma, faces.* Translate: St. Silv. V, 3, 229 *subdere robur illa dies potuit senectae.* = in locum alcs substituere: St. Th. X, 644 *posito ratum gestamina ferro.*

subesse Mart. XII, 32, 14 *foco virenti suberat amphorae cervix.* T et reliquorum plerique *focum ferentis.* Codex Palat. falsa litterarum distinctione *foco virentis uberat.*

sufficere 1) = subiicere, supponere: St. Silv. IV, 2, 29 *Lunaque portandis suffecta columnis.* Cfr Gronov. Diatr. I p. 109. 2) = inducere, inficere alqd alqa re. Sequitur accusativus cum ablativo: Val. II, 104 *maculis suffecta genas.* Translate: I, 822 *suffecta leto lumina.* 3) = satis esse, parem esse. Sequitur a) dativus: Val. II, 325 *vires utero maternaque sufficit aetas.* VI, 381 *ille hastis.* VI, 622 *illis aut illis millibus* (heros). St. Silv. I, 1, 50 *calcaribus ilia.* V, 2, 46 *iussis ingentibus.* V, 2, 112 *vires animo.* V, 2, 175 *tantis donis.* Th. I, 163 *loca dira arcesque nefandae suffecere odio.* Cfr Lemaire. VIII, 315 *tot gentibus, tot altis urbibus ac populis una sufficis* (tellus). VIII, 413 *iaculis aether.* Mart. V, 52, 5 *unus huic operi.* VII, 20, 18 *gulae praeda.* VIII, 65, 10 *sufficit immensis aureus ipse iugis.* IX, pr. 8 *mihi parve locuto sufficit in vestras redire manus.* IX, 32, 4 *una tribus.* IX, 101, 23 *Herculeum tantis numen actis.* b) *in:* St. Th. XI, 60 *se tanta in certamina retur sufficere.* — Sequitur infinitivus: Th. VII, 380.

suggerere 1) proprie: St. Th. IX, 451 *hiulcis flumina venis* (Asopos). IX, 740 *parvo mater Gaetula cruentos cibos.* Mart. III, 82, 8 *exoletus ructanti pinnas cuspidesque.* 2) translate: Val. I, 299 *illis placidi sermonis Iason suggerit affatus.* VI, 289 *tua pectora nato suggere animamque parem.*

submittere 1) = sub alqd mittere: Val. III, 528 *tellus teneris submittit gramina plantis,* quod Lemairium recte explicasse "erigit, sursum mittit" apparet ex Lucret. I, 8. Alii gramen pedibus nympharum curvatum intelligunt. St. Silv. III, 2, 68 *pontibus amnes.* Translate: St. Silv. I, 2, 165 *numquamne virili summittere iugo?* Ach. I, 278 *equum habenis.* Th. I, 709 *Phryga citharae.* 2) suppeditare, subministrare: St. Silv. V, 3, 122 *puero chelyn.* Libri *pueri,* quod Domitius correxit. — Reliqui sunt duo loci Statii: Th. IV, 553 *sanguineo submittit Cadmus ora lacu,* ubi *lacu* pro *lacui*

positum puto. Cogitari tamen de ablativo quoque potest; vid. vv. *incidere*, *subire*. Cfr etiam Ovid. Met. III, 23 *teneraque latus submisit in herba*. Silv. IV, 2, 42 *submittentemque modeste fortunae vexilla suae*, ubi utrum genitivus an dativus intelligendus sit, in medio relinquo. Dativum intellexit Cormiliolle, qui ita vertit: "qui sembloit modestement rendre grâces à sa Fortune".

supponere St. Th. XII, 213 *uncis alitibus hos supponimus artus*.

subrepere 1) *in:* St. Silv. I, 4, 56 *subrepsit in artus quies*. 2) dativus: St. Th. XI, 476 *fratribus horror*.

subridere St. Ach. II, 44 *illi*.

subvehere 1) proprio sensu adhibitum sequitnr dativus personæ: St. Th. V, 570 *si mihi Giganta subveheres*. 2) translato *in* præpositio: St. Silv. III, 3, 76 *subvexit in actus*. Locus in libris corruptus est; verba allata Queck Heinsium secutus in textum recepit. Cfr præterea adnot. Baehrensii et Sandstroem (Stud. crit. p. 25).

subvenire St. Th. I, 267 *tuis haec sententia curis*.

superesse verbo addita est *de* præpositio: Val. VI, 760 *qui* (vultus) *superest de casside*, ubi idem valet atque exstare. eminere. Alibi semper sequitur dativus 1) = superstitem esse: Mart. VII, 44, 8 *fas est cineri me superesse meo*. VII, 96, 8 *tibi*. XI, 41, 5 *nemus vetuit superesse ruinae pater* in editione Lipsiensi scripsit Schneidewin coniectura Roii recepta; in Grimensi lectionem codicis T *rapinae* servaverat. 2) = reliquum esse: Val. I, 631 *tristius miseris mare*. I, 809 *vobis nefas et leti sors*. V, 236 *tibi regnorum labes luctusque*. St. Silv. III, 1, 158 *tibi poma Hesperidum*. Ach. I, 217 *altera consilio cura*. Th. VI, 381 *tibi gaudia*. IX, 830 *tibi figere damas*. XI, 691 *mihi timores*. Mart. III, 22, 2 *centiens tibi*. IV, 35, 4 *cultro nil*. VIII, 66, 7 *gaudenti superest quod optet*. 3) = abundare, suppeditare: Val. VIII, 253 *silvestria lactis praemia supersunt*. Koestlin (Philol. 39 (1880) p. 454) *supersunt* depravatum existimat. St. Ach. I, 335 *illi decor*.

CAP. VII.

Extremum est, ut verba aliquot commemorem, quæ duplicem structuram ita patiuntur, ut præter accusativum, qui transitiva vi verbi continetur, aut dativum aut ablativum adsciscant. Cuius generis verba, etiamsi apud solutæ quoque orationis scriptores reperiuntur, longe plurima apud poetas occurrunt, ut qui commendationem e novitate captantes exquisitiores et constructiones et significationes verbis subiecerint. Sed hunc verba dupliciter construendi morem a poetis inventum ne finxeris[1]. Ipsa enim linguæ natura factum est, ut verbi significatione non eadem manente ne constructio quidem eadem semper maneret. Et haud scio an nusquam melius perspiciatur, quanta in significatione vis fuerit ad verbi structuram constituendam. Mutata est autem horum verborum significatio aut ita, ut relationis illius localis, quæ —, ut in reliquis verbis cum præpositionibus compositis —, ubi dativum poscunt, plerumque agnoscitur, sensu abolito generalem quandam ornandi vel instruendi notionem acceperint, aut ita, ut imminuta vi præpositionis compositum verbum idem fere valeat quod simplex[2]. Atque hæc potissimum afferenda putavi:

accingere 1) St. Th. I, 428 *accinctos lateri enses.* 2) St. Th. V, 281 *Venus ferro accincta.* Val. V, 513, ubi V habet *accinctum gemmis ensem*, editores *accensum* legunt. Translate usurpatum verbum significat ad alqd parare et coniungitur cum 1) dativo: Val. II, 197 *pugnae accincta Venus.* IV, 593 *animos accinge futuris. V accingere futuros.* Aliter Forcellini (lex. s. v.). St. Th. X, 81 *orbibus solitis accingi iubet Irin.* 2) *in* præpositione: St. Silv. IV, 4, 48 *magnos accinctus in usus animus.*

---

[1]) Præter necessitatem hoc admonere fortasse alicui videbor, sed vereor, ne huic errori obnoxii sint, qui eiusmodi exempla ad figuram illam hypallagen revocare solent

[2]) Optimum præbet exemplum verbum *adligare*, in quo præpositionis vis ita evanuit, ut compositione novum verbum factum sit *adalligare.*

adfligere 1) St. Th. II, 518 *scopulis alvum.* 2) St. Th. VIII, 424 *turbine mundum.* Solus accusativus sequitur: Mart. VI, 33, 4.

circumdare 1) St. Th. X, 33 *obsessis flammam.* Mart. IV, 41, 1 *vellera collo.* 2) Val. VIII, 33 *circumdata* (columba) *praepetis umbra.* St. Silv. II, 1, 76 *humeros ulnis.* Cfr V, 1, 173. V, 3, 266. Th. V, 513 *templa orbe vago* (serpens). VI, 138 *coetu circumdata matrum.* VI, 289 *tergemina crinem circumdata luna.* IX, 599 *planctu circumdat pectus inani.* Cfr adnot. Barthii.

circumfundere 1) Val. I, 384 *circumfusa cothurno palla.* In tmesi verbum positum est: St. Th. II, 228 *pars* (matrum) *virginibus circum undique fusae.* Cfr s. v. *conciliare.* 2) St. Th. VI, 723 *fulvo circumfusa margine* (tigris inanis). X, 559 *fuga circumfusa tenebris.* Mart. XII, 17, 7 *circumfusa rosis* (febris).

exuere[1]) verbum et proprie et translate adhibitum varias admittit constructiones: 1) St. Silv. III, 3, 145 *laevae ferrum.* Passiva forma positum verbum eandem stucturam retinuit: St. Th. VI, 836 *humeris Aetolus amictus exuitur patriumque suem.* Cfr Th. VI, 734 s. v. *induere.* 2) St. Silv. IV, 4, 28 *curis pectus.* V, 2, 67 *ostrum lacertis.* Th. IX, 76 *vagina ensem.* Participium *exutus:* St. Silv. II, 5, 22 *solito honore.* II, 6, 60 *divitiis censuque.* Th. III, 672 *frigore colles.* IV, 98 *squalentibus annis* (anguis). V, 459 *gelu sidera.* VI, 30 *vittarum nexu.* Mart. X, 4, 5 *puer pinnis labentibus.* Accusativus (præter ablativum) verbo passiva forma posito additus significat corporis partem, unde quid removetur: St. Th. IX, 163 *exutum diademate crines.* XI, 460 *vittis comam.* De accusativo vid. Kuehner l. c. II § 71, 3 b. 3) *ex:* St. Th. IX, 288 *e vulnere telum.* 4) solum accusativum a) = deponere, amovere: Val. VII, 492 *exue cantus.* Cfr Lemaire. St. Silv. I, 4, 8 *fila senectae exuit* (cervix). Cfr Lemaire. II, 7, 40 *Orpheos dolores.* IV, 6, 30 *chelyn.* Th. VI, 874 *arenas.* Mart. I.

---

[1]) De originatione verborum *exuere* et *induere* vid Corssen, Krit. Beiträge zur lat. Formenlehre. Leipz. 1863 p. 496.

105, 3 *mores nomenque* (merum). IX, 59, 7 *mensas et opertos orbes* (Mamurra). X, 30, 3 *curas*. XIV, 139, 2 *callaïnas* (lacernas). b) = nudare, liberare: Val. III, 2 *Tithonia polum*. VI, 253 *hastam*, de quo cfr Koestlin (Philol. 39 (1880) p. 34). St. Silv. IV, 3, 50 *montes*. Th. X, 271 *ensem*. X, 938 (membra virum terrena relinquunt) *exuiturque animus*. Mart. III, 68, 4 *exuimur* (nudos parce videre viros). XIV, 109, 2 *quot digitos exuit ille calix*. T *quòd digitis*. Passivæ verbi formæ accusativus subiicitur (Cfr Kuehner l. c. II § 71, 3 a.): St. Th. X, 641 *priores exuitur vultus*. Participium *exutus*: Silv. I, 3, 71 *glaucos amictus*. Th. VI, 352 *omnes comas*. X, 647 *horrentia terga* (Amphitryoniaden).

induere 1) Val. II, 266 *serta patri iuvenisque comam vestesque Lyaei induit* (regina). VIII, 235 *ipsa illi vestes*. St. Th. II, 293 *Semele dona nocentia collo*. V, 753 *caelo nox umbram*. Eodemque modo passivam verbi formam sequitur dativus cum accusativo: Th. VI, 734 *tegmina cruda boum lacertis induitur* (Capaneus). Cfr Th. VI, 836 s. v. *exuere* et Ovid. Met. X, 271 *inductae cornibus aurum iuvencae*. 2) Val. II, 20 *quos* (Gigantes) *scopulis trabibusque parens iugisque induit*. St. Silv. II, 7, 125 *haec* (Polla) *te non falsi numinis induit figura*. IV, 2, 67 *tua me manus induit auro*. Th. IX, 796 *deformes vertice mitras induimus*, quod per inversionem dictum apparet pro *verticem mitris*. Cfr s. v. *committere*. X, 66 *Argolicae sanctum velamine matres induerant ebur*. Passive verbum positum est: Val. VII, 372 *venenis induitur* (Medea). V *intuitur*, unde Burmannus *instruitur*. St. Silv. III, 5, 29 *sancto indutum Caesaris auro*. 3) solus accusativus: Val. II, 399 *thalamos excussaque vincla induere*. Libri *inbueratque*, unde Heinsius *induere atque*, quod editores receperunt. VII, 91 *arma induimus*. St. Silv. I, 4, 17 *nec tantum induerint fatis nova saecula crimen*. V, 2, 149 *hunc* (thoraca) *ipse*. Ach. I, 263 *virgineos Iuppiter induit artus*. Th. I, 82 *diadema*. VII, 772 *longam indue famam*. VIII, 392 *corpora irasque sedentum induerint*

(cornipedes). Mart II, 41, 13 *indue vultus severos.* XIII, 87, 2 *lacernas.* Cfr XIV, 139, 2. Singularia hæc sunt: Val. IV, 509 *coas cinis induit urbes,* de quo cfr Gebbing l. c. p. 9. St. Th. IX, 281 *induit Mycalesia cuspis Agyrten.* — Passiva verbi forma reperitur: Val. IV, 94 *Sol multifidum iubar et loricam induitur.* St. Th. II, 97 *Tiresiae vultus vocemque et vellera nota induitur* (Laius). VII, 128 *varios per agmina vultus induitur* (Pavor). Mart. V, 23, 1 *indutus fueras colores.* VIII, 48, 2 *induiturque togam.*

innectere 1) St. Ach. I, 196 *humeris se innectit Achilles.* Th. II, 99 *innexus olivae vittarum honos.* IV, 26 *collo bracchia.* XI, 75 *soror dextrae innexa.* Cfr I, 511 *ambos innectens manibus.* 2) Val. IV, 253 *armis palmas.* VI, 110 *pectora ferro terribilesque innexa iubas* (cohors).

inplicare 1) Val. III, 272 *deus haec utrisque inplicuit.* VII, 598 *noctem propinquanti.* VIII, 124 *sinistrae pellem.* St. Silv. V, 5, 81 *quem* (puerum) *protinus ortu inplicui fixique mihi.* Th. III, 542 *hic hosti inplicitus.* X, 314 *inplicitum fratri Thamyrum.* XI, 234 *inplicitum ossibus ignem.* 2) Val. III, 425 *tempora vittis et supplice oliva.* V *victis.* IV, 334 *ramis caput oraque Castor inplicat.* V, 451 *igne domos.* VI, 707 *puer caput inplicat arcu.* St. Silv. II, 3, 34 *latus alga.* Th. VI, 889 *ilia nexu.* His locis ambigua est verbi structura: Val. II, 27 *hunc* (Typhoea) *Neptunus inplicuit vadis.* III, 31 *erroribus urbem.* III, 390 *quisque suos sontes inimicaque pectora poenis inplicuit.* V, 255 *spiris nemus inplicuit* (anguis). VIII, 19 *virgineosque sinus ipsumque monile venenis.* St. Ach. II, 287 *inplicitum tenebris orbem.* IV, 814 *inplicitos fluvio reges.* XII, 630 *quos Calirrhoe undis inplicat.* Mart. Sp. 11, 2 *inplicitam visco fugam.*

insternere 1) St. Silv. III, 1, 36 *instratum humeris hostem* i. e. pellem leonis. Libri *lustratum.* Th. IX, 374 *illa* (mater) *ceu vivum insternit toris riparum.* XI, 600 *totos frigentibus artus.* XII, 800 *sese instraverit ignibus Evadne.*

2) Val. III, 463 *tabulata toris.* St. Th. III, 213 *terra insternar avita.* XI, 398 *instratus ostro sonipes.*

intexere 1) St. Th. V, 276 *humeris amborum intextus Iason.* 2) St. Th. IV, 449 *intexit cornua sertis.*

offundere verbi participium *offusus*, ubi in libris legitur *effusus*, editores in textum admiserunt: 1) Val. IV, 482 *hinc mihi tanta pestis et offusae tenebrae.* V, 466 *nova lux offusa Cytaeis.* Utrobique lectio allata Gronovio debetur. 2) St. Th. V, 95 *aciemque offusa trementi sanguine* (Thyias) Barthium secutus edidit Mueller. Queck librorum scripturam *effusa* retinuit.

obtendere 1) Val. II, 450 vid s. v. *ostendere.* St. Th. VI, 613 *volans obtenditur Idae* (crinis). 2) St. Th. II, 248 *obtendunt limina silvis.* V, 45 *obtenta comis umbra.*

praeducere verbi structura variatur: St. Silv. V, 3, 13 *quis mea corda situ, quis praeduxit nubila menti.* Libri *produxit*, in edit. princ. iam correctum, et *mentis.* Codex Sang. *menti.*

praetexere 1) Val. III, 436 *comis frondes.* 2) St. Silv. IV, 4, 7 *vadum praetexitur hortis.* V, 3, 50 *magno tumulum praetexere luco.* Th. III, 496 *dextrisque profundum alitibus praetexe diem.* VIII, 47 *Stygio praeteram Hyperiona caelo.*

subligare 1) St. Th. II, 712 *huic enses subligat.* VI, 367 *chelyn lauro textumque coronae.* 2) Val. VI, 700 *subligat extrema cervice tiaran*, quod per inversionem dictum accipio. Vid. simillimus locus: St. Th. IX, 796 s. v. *induere.* Cfr tamen ablativus ille, qui sequitur verbum *suspendere.* Solus accusativus: Val. V, 578 *quem balteus subligat* i. e. cingit.

subnectere 1) St. Th. V, 408 *vela malo.* 2) Val. II, 103 *reti crinem subnectitur aureo.* Baehrens *tereti — auro*, quod libri nonnulli præbent. Cfr Sandstroem, Emend. p. 26.

subtexere 1) Val. V, 413 *curroque diem subtexit Olympo.* Baehrens in textu posuit *subduxit*, et Gebbing (l. c. p. 54) scriptum vult *Sol traxit.* Nihil mutandum est. Cfr Lucan. IV, 104 *nox subtexta polo.* Vid. etiam loci infra

allati. 2) St. Silv. I, 2, 99 *nostra laurum subtexere myrto.* III, 1, 127 *nocturna caelum umbra.* IV, 4, 59 *alio subtexit munere fasces.* Th. II, 527 *coeperat humenti Phoebum subtexere palla* (nox). — Solus accusativus: St. Th. IX, 27 *subtexunt astra catervae avium.*

His verbis nonnulla subiungam, quibus nostri accusativum cum ablativo subiecerunt, quum alias alteram quoque structuram admittant:

adcumulare Val. IV, 340 *liba dapesque frondibus.* Cfr Ovid. Fast. II, 122 *Fastis accumulatur honos.* Verg. Aen. VI, 885 *animam nepotis accumulem his donis.*

adligare verbum, quamquam dativi exemplum non reperitur, hic afferendum puto: Val. V, 428 *volucri victam deus adligat unda.* VI, 443 *suus adligat igni cuncta sopor* edidit Thilo. Versus 439—496 in V desunt; *igni* e codice. Carr. assumptum est. Codex Monac. præbet *ignis*, unde Baehrens *ingens.* Schenkl (Cfr Stud. p. 58) *urguens.* St. Silv. IV, 3, 48 *crebris iter adligare gomphis.* Th. II, 182 *gentes, quas Doricus adligat undis Isthmos.* P exhibet *intus*, quod Mueller recepit. Cfr tamen Ach. I, 411 *gentes litore Abydeno maris adligat unda superni.* Mart. XII, 89, 1 *lana caput adligas.* Præpositio *ad* sequitur: Mart. VIII, pr. 14 *pars libri ad maiestatem nominis tui adligata sit.*

adspergere St. Silv. II, 3, 42 *aquis* (platanum). III, 1, 13 *pelago montis latus.* Ach. II, 42 *nebridas auro.*

circumligare St. Ach. I, 172 *exceptam avidis ulnis.* Th. VIII, 677 *magna trepidum* (olorem) *circumligat umbra* (flammiger ales). Cfr Verg. Aen. XI, 655 *natam mediae hastae.*

inligare St. Th. I, 304 *summa pedum plantaribus alis.* Mart. I, 49, 23 *dammas plagis*, ubi in nonnullis libris scriptum est *dammis plagas.* Cfr Liv. XXXII, 22, 11 *inligati amicitia Philippo.*

involvere St. Th. II, 593 *corpora turba involvi sua.* III, 416 *nigro polos amictu.* Duobus locis parum perspicua est verbi structura: Val. VII, 74 *tenebris te illis involvi*

flammisque velim. St. Th. III, 323 *ponto miseros nautas.* Cfr Sil. VIII, 637 *apium examina se involvunt aquilis.*

praefigere Val. I, 837 *galeis praefixa rotisque domus.* Vid. de hoc loco Sandstroem (Emend. p. 26). IV, 739 *tecta tropaeis.* St. Th. IV, 177 *cuspide praefixa cupressus.* Cfr Verg. Aen. X, 80 *puppibus arma.* Suet. Cæs. 85 *praefixum caput hastae.*

suffundere St. Silv. II, 1, 41 *purpureo suffusus sanguine candor.* Th. I, 106 *suffusa veneno cutis.* II, 506 *tabo lumina.* XI, 121 *Hyperionis orbem suffundi maculis.* Cfr Cic. Tusc. I, 9, 19 *cordi suffusum sanguinem.*

Contraria est ratio verbi

circumferre, cui dativus cum accusativo appositus est: Val. VII, 123 *patriae circumfert oscula dextrae*, quum altera constructio exstet: Verg. Aen. VI, 229 *idem ter socios pura circumtulit unda.*

Utra structura accipienda sit in verbo

intertexere parum liquet: St. Th. VI, 64 *medio Linus intertextus acantho*, quamquam dativus præferendus videtur. *P intextus*, quod versus non recipit. Cfr Ovid. Met. VI, 128 *flores hederis intertextos.* Ad hanc similitudinem factum est verbum

interligare St. Th. VII, 571, *alterno maculas interligat ostro.*

In eundem numerum referri possunt *adflare*, *conectere*, *inducere*, *inspirare intendere*, *obducere*, *sufficere*, quorum exempla alio loco (cap. VI.) attuli; et *officere*, *inficere*, *obtexere*, *praecingere*, *succingere*, alia in eadem causa quondam fuisse veri simillimum est, quamquam in his dativi memoria omnis abolita est. Sed genus ipsum denotasse satis habeo, quoniam singula persequi non licet. Nam ut in rerum natura diversa animantium genera non certis semper inter se finibus distinguuntur, sic in lingua quoque multa esse, quæ ad artem et præcepta frustra revocaveris, probe meminisse oportet.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

p. 16 v. 17 dele *adesse;* v. 18 post *accedere* adde *accipere.*

p. 22 v. 28 scriptum est iniquum reddere; scriptum oportuit amovere, auxilio alcs privare.

Post verbum *avertere* adde

avocare St. Silv. IV, 6, 31 *hic Aoniis amor avocat antris.*

p. 23 v. 15 adde V *urbe*, quod Baehrens recepit.

p. 26 v. 22 scriptum est codicis ψ; scriptum oportuit edd. ψ. Eodem modo p. 28 v. 24; p. 48 v. 36; p. 60 v. 11.

p. 28 ante *depromere* adde

deposcere Val. I, 199 *fulmen Olympo.*

p. 36 v. 15 adde V *tuneo*, unde Baehrens *tunc o.*

p. 40 ante *evocare* adde

evellere Val. III, 709 *evulsa iugis* (hasta). VI, 716 *evulsam harena* (oleam).

p. 43 v. 9 scriptum est Mulciber; scriptum oportuit Vulcanus.

p. 51 v. 7 post (Nestor) adde Libri *adisse;* Domitius *obisse.*

p. 52 v. 19 St. Silv. V, 4, 10 afferri oportuit v. 13.

p. 68 v. 24 St. Silv. III, 1, 90 afferri oportuit p. 69 v. 5.

INDEX VERBORUM.

Numeri sunt paginarum.
